



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

Concilia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)



hoc modo perijt, hoc est, cœlesti fulmine tactus visibiliter ad inferos descendit?

ALIV. Confugiunt Sæctarij rursus ad tropos dicendo, verba Prophetarum de interitu Antichristi non intelligenda propriè de corporali interitu, sed allegorice de morali, hoc est, de imminutione Pontificiæ Authoritatis, quæ facta sit Spiritu oris Christi per prædicationem Prædicantium. Verùm in hac responsione præter commune vitium proprietatis sæpius jam castigatæ etiã manifesta falsitas continetur; quippe Potestas Pontificia hætenus non est imminuta; sed potius amplificata fuit per conversionem Indorum, quæ Apostasiam hæreticorum in Europa abunde supplevit. Prudens Lector ex uno hoc, quod de Sancto Francisco Xaverio Indiarum Apostolo scribit Jacobus Bozius de signis Ecclesiæ DEI sig. 20. coniciat, quantopere post Lutheri defectionem in prædictis Indijs Authoritas Pontificia creverit: *Universi, inquit, hæretici ab Ecclesia Christiana constitutione per tot secula per annos mille quingentos & amplius haud traduxerunt ad hæreses suas tot gentes aut idololatrias aut alioquin à Christi cultu alienas, quot unus Xaverius ad Christi cultum annis undecim. Unus Xaverius plures gentes & homines plures annis undecim Christo adiunxit, quam immensa hæreticorum millia ex omni gente & natione è toto orbe terrarum per annos mille quingentos.* Ita ille.

XLV. Cum igitur ex hætenus dictis liquidissime constet, nec Singulariãtatem Antichristi, nec Nomen, nec Stirpem, nec Tempus, nec Locum, nec Mores, nec Interitum competere Romanis Pontificibus, nullã probabilitate dici potest, eosdem Romanos Pontifices esse Magnũ Antichristum. Unde Protestantes graviter audire non possunt vocem illam; & publicam protestationem Serenissimi Principis & utriusque Bavariæ Ducis, ac postea Sac. Rom. Imperij Electoris Maximiliani in postremo colloquio Ratisbonensi Anni M.D.C.I. Sess. 13. cum ad obtundendum impudens os Hunnij graphice ac liberè diceret: *Vos appellastis Romanum Pontificem Antichristum; qua est injuria insignis & clarissima, & hoc nunquam probabitur.* Et rursus: *imò est insignis injuria; qua redundat in omnes Catholicos.* Nam si Romani Pontifices sunt Antichristus Magnus, sequitur apertissime 1. Idipsum Romanum Imperium Francos & postea Germanos laudatissimos Imperatores per Antichristum accepisse. Sequitur 2. Antichristum Germanis Principibus potestate atque Authoritatem tribuisse eligendi Imperatorem. Sequitur 3. Germaniam nullos unquam verè Christianos Principes atque Imperatores ante Lutherum: sed Idololatrias & Antichristi prostibula habuisse: Imò nec orbem terrarum: siquidem omnes Reges, & Principes Christiani ante Lutherum sese Romano Pontifici subjectos & obnoxios profitebantur, tanquam Oves Pastori & tanquam Discipulos Magistro; ac tanquam Filios Patri. Sequitur 4. Romanum Imperium jam ante mille annos sublatum fuisse, cum hæc certa sit Notã adventus Antichristi, ut ex Apostolo & Daniele Prøpheta magno consensu docent Græci ac Latini Patres apud Cardinal Bellarminum Lib. 3. de Pontific. c. 5. supra jam citato. Judicent autem ipsimet Protestantes, an non isthæc cedant in gravem injuriam Romani Imperij sub Augustissimo & felicissimo Imperatore Leopoldo I. etiamnum florentis? DEUS porro ad defensionem Sac. Rom. Ecclesiæ & Imperij dexteram Majestatis suæ extendat? Videatur Opus germanisõ idiomate re-

cens editum à P. Christophoro Ott Societatis JESU, cujus titulus ROMA GLORIOSA; ubi 243. Paparum vitas, mores, ac gesta fideliter recenset, & ad hæreticorum objectiones solidè respondet in nullo à doctrinis nostris dissentiens.

CONCILIA.

UNIVERSAM Religionis Controversiam, qui compendio expedire volet, is ex Concilijs veteris orthodoxæ Ecclesiæ nullo negotio intelliget, quam partium hæc ætate sibi adversantium veram incorruptamque Fidem amplectatur; quamcunque enim cum articulis horum Conciliorum integrè consentire repererit, hæc à vera atque orthodoxa Religione aliena esse non potest. Unde magna semper fuit Authoritas Conciliorum in Ecclesia adversus multiplices fraudes hæreticorum, qui idcirco omnem operam industriam & laborem etiamnum adhibent in Ecclesiastica illa autoritate labefactanda, ut bene notat Cardinal. Bellarminus hæc in præfatione. Quare Pontifici imprimis subnectimus Concilia; cum hæc ab illo vel Corpus (Ecclesiæ scilicet Militantis, quam representant) à Capite visibili in terris dependeam, & qua à Doctoribus de iisdem inquiruntur, ac disceptantur, ad sequentes Controversias redigemus ac breviter expendemus.

CONTROVERS. XXXII.

CUIUS SIT CONVOCARE Concilium, & illi præcesse.

I.

Albertus Pighius Lib. de cœlest. Hierarch. c. 1. Originem Conciliorum putat esse humanam, & naturali ratione excogitatam. Verùm etsi ratio naturalis dicitur, ut in rebus dubijs Princeps consulat viros peritos, tamen ut Episcopi solum convēhiant, & isti non sint Conciliarij, sed Judices, non videtur solius rationis humanæ inventum; unde melius Bellarminus Lib. 1. de Concilijs censet, originem illam esse divinam; quia Sancti Patres docent, Concilia demonstrata fuisse illis Christi Verbis Matth. 18. v. 20. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum sum.* Et absque dubio Apostoli divini Spiritus motione inducti primarium illud Concilium Actor. 15. coegerunt, unde v. 28. *ajunt: visum est Spiritui Sancto & nobis &c.*

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

II. Nomen Latinum Concilij reperitur passim in utroque Testamento. Nomen Synodi habetur in Can. 38. Apostolorum. In græco textu loco utriusque, nempe Concilij & Synodi ponitur *συνάξις* vel *συνάγωγη*. Reipsã Concilium est legitimus conventus Præsulum Ecclesiasticorum



ad dirimendas Fidei controversias aut mores Clerici ac Populi corrigendos congregatus. Quamvis enim ad hunc finem solius Papæ autoritas sufficeret; quia tamen ipsa multitudo Præfulum plus autoritatis habet apud homines, expedit ad horum audaciam confringendam subinde Concilia convocare, sicuti etiam ad politica negotia componenda interdum comitia statuum Regni vel Imperij indicuntur. Illegitimus autem conventus non vocatur Concilium, sed conciliabulum.

III. Dividitur Concilium in Universale & Particulare; illud nomine totius Ecclesiæ celebratur: hoc nomine alicujus particularis. Universalitas autem non tam rigide sumenda est, quasi omnes omnino Episcopos ac Prælatos convenire oporteat, sed cum 4. his limitationibus ex antiqua Ecclesiæ praxi desumptis. 1. Sufficit omnes totius orbis Episcopos advocasse, licet non omnes compareant; nunquam enim in ullo concilio omnes comparuisse leguntur propter varia impedimenta, dummodo insignis se multitudo sistat. 2. Satis est, omnes vocare, qui commode vocari & expectari possunt; quis enim ex India remotissima tam distantes Episcopos in Europam evocet, præsertim necessitate urgente? 3. Non necessum, ex singulis Nationibus mundi aliquos Episcopos comparere, modo ex duabus præcipuis orbis partibus, nempe Oriente & Occidente aliqui adveniant; multa quippe Concilia Constantinopolitana pro Oecumenicis, hoc est, totius Orbis habentur, quibus tantum Græci & Romani interfuerunt. 4. Non est opus, ut Orientales & Occidentales Episcopi eodem tempore & eodem loco conveniant, modo Legati Pontificij intersint, qui alterius partis vices obeant; imò est satis, si Concilia in diversis locis habita postmodum inter se consentiant, & decreta invicem approbent, sicuti est factum in nonnullis Concilijs Constantinopolitanis.

IV. Particulare Concilium est triplex. 1. vocatur Nationale, in quo totius alicujus Nationis Episcopi sub uno Patriarcha vel Primatu congregantur, ut Concilium Germanicum, Gallicum &c. Unde fieri potest, ut Concilium Nationale interdum sit multò majus Generali quoad numerum scilicet Episcoporum non quoad autoritatem. 2. dicitur Provinciale, ad quod plures Episcopi cum suo Archi-Episcopo conveniunt, ut Concilium Moguntinum, Salisburgense &c. 3. appellatur Diocesanicum, ubi cum Episcopo Parochi congregantur, & minus propriè Concilium vocatur, sed potius Synodus, ut Synodus Augustana, Passaviensis &c. Agimus autem hic solum de Universalibus, quia particularia sunt innumera, & parvæ autoritatis, Finis Conciliorum universim, & fructus unice in ijs quæsitus est instauratio Ecclesiasticæ Disciplinæ tam doctrinâ sanam quam mores integros complectentis, ut patet ex descriptione Concilij allata. His pro terminorum notitia præmissis,

V. *Doctrina prima.* Convocatio Conciliorum Generalium ad Romanum Pontificem spectat tanquam ad Caput Universæ Ecclesiæ. Ita omnes Catholici, testaturque S. Marcellus Papa in epistola ad Episcopos Provinciæ Antiochenæ ante annos 1300. sic olim ab Apostolis fuisse declaratum. Ratio est. Quia sicut in corpore humano omnia membra ab imperio & nutu Capitis pendent, sic in Corpore morali Ecclesiæ omnia membra à Pontifice tanquam à supremo Capite pendere de-

bent. Confirmatur. Concilium Ecclesiæ non est legitimum, nisi congregetur in Nomine Christi Matth. 18. v. 20. Congregari autem in Nomine Christi nihil videtur aliud, quam congregari autoritate Christi, hoc est, ab eo, qui à Christo habet congregandi potestatem; nempe Romano Pontifice, cum Romana Ecclesia inter omnes Ecclesias prima & præcipua sit; utpote in qua semper viguit *Apostolica Cathedra Principatus.* ut testatur S. Augustinus Epist. 62. Certè nemo alius unus præcipere omnibus Episcopis potest, ut in Concilio compareant. Dicere autem cum Amefio Tom. 2. fol. 6. & alijs Sectarijs, nullius hominis autoritate opus esse, ut congregentur homines in Nomine Christi, vel ex omnibus partibus mundi, vel etiam ex aliquibus, amentia est jam protrita hæreticorū, olètque independentia hæc confusionem Babyloniam, ut istâ ratione, quandoctunque duo vel tres Prædicantes cum suis Biblijs congregantur, persuasum sit miseræ plebeculæ, Christum esse in medio ipsorum.

VI. *Doctrina secunda.* Prædictam potestatem convocandi Concilij potest summus Pontifex alijs etiam sæcularibus delegare. Ita communis apud Bellarminum Lib. 1. de Concil. c. 12. Et sic nonnunquam Pontifex delegavit Imperatoribus initio Ecclesiæ. Nam cum Pontificum tunc exigua valde esset potestas, & divitiæ, totumque dominium temporale penes Imperatores existeret, ut absque illorum consensu Concilia cogi non possent, idcirco Papæ rogaverunt illos, ut Nomine ipsorum scilicet summorum Pontificum, Episcopos undique ad Concilia convocarent.

VII. *Doctrina tertia.* Præsidentia & Directio Concilij ad officium pertinet Pontificale. Ita quoque communis Catholicorum apud Bellarminum Lib. 1. cit. c. 19. Probatur ex perpetua veterum Ecclesiarum praxi. In primo generali Concilio Nicæno Constantinus M. post omnes Episcopos subscripsit, ut testatur Basilius Imperator in fine Synodi VIII: At Præses primo loco subscripsit, nempe Osius Episcopus, Vitus & Vincentius Prelbyteri nomine Silvestri Papæ, cujus Legati fuerunt, & ideo etiam præfederunt teste Achanasio oculato in epist. ad Solitar. ubi refert, *Osum fuisse (loco Sylvestri) Synodi Principem, & Nicænae Fidei Symbolum composuisse.* Deinde Constantinus non est ausus sedere, nisi in humiliori loco, quam essent Episcoporum, & annuentibus Episcopis, ut colligitur ex Theodoro Lib. 1. c. 7. Hist. & ex Eusebio L. 3. de vita Constant. Demum Constantinus in ipso Concilio professus est, *se debere ab Episcopis judicari, etque esse subjectum, non præpositum,* ut scribit Rufinus Lib. 10. c. 2. Ergo quod iste primus & maximus Imperator Christianus nec affectavit, nec ei permissum est, credibile non est, alios subsequentes Imperatores vel juniversim affectasse, vel ulli permissum fuisse. Nam quamvis Imperatores nonnunquam primo loco in Concilijs ponerentur, tamen directio ipsis non est concessa, nec ab illis flagitata. Honorius Imperator in epist. ad Frat. Arcadium (quam recenset Baronius Tom. 5. fol. 209.) scribit: *Siquid de causa Religionis inter Amistites agitur, Episcopale oportet esse iudicium, ad illos enim divinarum rerum interpretatio: ad nos Religionis spectat obsequium.* Basilius Imperator in oratione, quam habuit in octava Synodo generali, quæ tempore Adriani Papæ Constantinopoli celebrata est in causa Photij Patriarchæ sic loquitur



loquitur : De viris autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute versantur, quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo nobis liceat de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesie & universali Synodo adversari; hæc enim investigare, & querere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi, & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamentis solvi egemus. Nihil clarius dici potuit. Atque hæc præsentia Pontificis in primo Apostolorum Concilio Actor. 15. fuit observata, ubi Petrus primam sententiam tulit, & cæteri in ejus sententiam abierunt. Confirmatur. Ponamus, nullum esse Principem Christianum in Ecclesia, sicuti multis annis non fuit usque ad Constantinum M. an idcirco nullum fieri posset Concilium defectu Præsidentis? Quomodo, ergo Apostoli habuerunt?

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. Error primus est. Jus convocandi Concilia Imperatori competit, non ex commissione Papæ, sed ex proprio munere. Ita Lutherus, & Calvinus atque horum assectæ apud Gerhardum lib. 2. part. 1. à fol. 737. Amesium Tom. 2. fol. 1. & alios. Probant 1. Quia Imperatori incumbit cura Fidei & Religionis. Psal. 2. v. 6. Ego autem constitutus sum Rex super montem Sanctum ejus prædicans præceptum ejus. Probant. 2. Quia ipsi sunt Pontifices Regibus subiecti sunt, ut docet exemplum Salomonis, qui Abiatharem summum sacerdotem deposuit 3. Reg. 2. v. 27. Probant 3. Quia multa habemus exempla in sacris litteris, quod Reges convocarent Sacerdotes ad Concilia celebranda de rebus ad Religionem pertinentibus, ut David 1. Paralip. 13. v. 3. & c. 23. v. 2. Salomon 3. Regum 8. v. 1. Ezechias 2. Paralip. 29. v. 4. Jothas 4. Reg. 23. v. 2. idque DEO placuisse testatur Scriptura. Cur Christianis Regibus & Imperatoribus id non liceat? Probant 4. Imperatores prima Concilia Generalia indixerunt. Nicænum Constantinus: Constantinopolitanum Theodosius: Ephesinum Theodosius Junior: Chalcedonense Valentinianus & Martianus, & sic deinceps. Coniicitur autem istud, inquit Molinæus, ex eo, quod nulla Romani Pontificis fiat mentio.

IX. Error iste apertissime repugnat Sac. Scripturæ utriusque Testamenti, quæ distinguit Ecclesiasticam & Civilem Jurisdictionem. 2. Paralip. 19. v. 11. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad DEUM pertinent, præsidebit: porro Zababias filius Israhel, qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Christus Joan. 18. v. 36. ait: Regnum meum non est de hoc mundo, hoc est, non est mundanum, nec mundanis Pontificibus competens; quod agnoverunt & palam professi sunt Imperatores Christiani, ut ex historijs probat Bellarminus L. 1. de Concilijs c. 13. & pluribus argumentis firmat Suarez lib. 4. contra Regem Angliæ, ac Becanus Tom. 3. opusc. 6. Solum Valentinianum Seniores Imperatorem afferre lubet; iste cum importunè rogaretur, ut

permitteret haberi Concilium, in quo de quibusdam rebus fidei decerneretur, in hæc verba respondit: Mibi, qui unus è numero Laicorum sum, non licet ejusmodi negotijs me interponere; Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc cura sunt, ubicunque illis libitum fuerit, conveniant. Refert Baronius A. C. 364.

X. Respon. ad 1. Regibus & Imperatoribus competere commissam defensionem & executionem: non doctrinam & interpretationem scripturæ, ut probè novit Theodosius Junior in epistola ad Synodum Ephesinam sic scribens: Candidianum Comitem ad hanc Sacram vestram Synodum abire justimus: sed eâ lege & conditione, ut cum questionibus & controversijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat; nefas enim est, qui Sanctissimo Episcoporum catalogo adscriptus non est, cum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus se immiscere. David loc. cit. non loquitur, ut Rex, sed ut Propheeta, & in Persona Christi, qui præcepto æterni Patris constitutus est Rex super montem Sion, hoc est, universam Ecclesiam DEI prædicaturus &c. ut rectè ex communi aliorum Interpretum Tiranus. Ad 2. Salomonem quoque non regiâ potestate, sed prophetico instinctu Pontificem deposuisse, ut diximus jam supra. Sed instant hæretici, eo tempore, quo hæc depositio Pontificis facta est, Salomonem nondum fuisse Prophetam, cum donum Prophetiæ postea primùm accepisse legatur 3. Regum c. 5. v. 12. Aio. donum prophetiæ esse divisibile, & partem prius, partem posteriùs conferri; sicut Apostolis Joan. 20. v. 23. Christus suo afflatu Spiritum Sanctum contulit, id est, aliqua dona Spiritus Sancti: & postea Actor. 2. v. 4. iterum acceperunt Spiritum Sanctum, id est, copiosiorum ejus gratiam. Itaque Salomon ante illud somnium potuit habuisse partem prophetiæ, & ejus virtute Pontificem deponere, licet aliam partem postea acceperit. Ad 3. Exempla Regum Judæorum, qui Levitas & Sacerdotes in Concilium advocarunt, non probare Spirituales eorum Jurisdictionem. Tum quia non imperiosè, sed amicitabiliter invitarunt. Tum quia non ad decidenda dubia Religionis, sed ad aliquam Solennitatem cultus divini convocati sunt, ut patet per textum. Non obest, quod objicit Joannes Gerhardus fol. 737. ipsum etiam Romanum Pontificem à Martiano Imperatore ad Synodum esse vocatum; qui, cum non potuit, quatuor Legatos misit. Nam vocatus fuit non pro imperio & potestate sed precibus & submissione rogatus. Ad 4. Concilia illa prima ab Imperatoribus quidem etiam fuisse indicta, sed ex Pontificum sententia & consensu. Et quamvis Gerhardus, Molinæus, Amesius, alijque sectarij multa pro Cæsarea autoritate moveant, aliud tamen non evincunt, quàm Imperatores Catholicos & Religiosissimos Constantinum, Theodosium, Martianum &c. suas partes pro illo opere celebrandi Concilij strenuè gessisse, dum vel sponte concilia petebant à Romanis Pontificibus: vel ab istis convocanda, (si quando Concilij locus illorum ditioni subijceretur) ita potestate suâ communicabant, ut liberam potestatem Papæ relinquerent, in ea urbe Concilium celebrandi; imò seipos Concilij fautores & propugnatores exhiberent, adeoque seipos Autoritatis Pontificiæ potius Ministros, quàm rivales ac Dominos præberent; unde in Concilio Nicæno Constantinus M. sedit in hu-

gha.  
er  
ologia  
amica  
XI  
92



in humili ac demisso sedili, nec prius sedit, quam à Patribus ad id rogatus, ut in ejus vita scribit Eusebius Lib. 3. c. 10. Et quam majorem mentionem Pontificiæ Authoritatis Molinaus desiderare potest?

XI. Quod autem non à Solo Pontifice (ut potest factum) Concilia indicerentur, ratio non erat, quasi sine autoritate Imperatoris coacta non forent rata apud Christianos, ut somniant Novatores, cum aperte dicat D. Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes: *quando unquam iudicium Ecclesie ab Imperatore auctoritatem habuit?* sed propter alias causas. 1. quia prohibiti tum fuerunt frequentes hominum conventus sine autoritate Imperatoris. 2. quia non poterat fieri concilium nisi in aliqua urbe imperiali. 3. quia sumptibus publicis Imperatoris sine dispendio Ecclesiarum fiebant generalia concilia. 4. quia eo tempore Papa in temporalibus subijciebat se Imperatoribus, & idè non poterat invito Imperatore aliquid agere; & cum duntaxat debuisset petere auxilium ad convocandam Synodum, vel ut permitteret convocari Synodum, tamen quia Dominum suum temporalem agnoscebat, supplicabat, ut iuberet convocari Synodum; supplicabat, inquam cum Bellarmino c. 13. cit. non quasi absque tali indictione Autoritas Concilij esset nulla, sed quia ob rationes prædictas sine consensu Imperatorum Conciliacogi non poterant, ut supra etiam jam diximus. Unde ex nominato vocabulo (*Supplicabat*) ineptè gestit & triumphum sibi decernit Amelus tom. 2. fol. 11. quasi Bellarminus per unum hoc vocabulum Adversarijs omnia concessisset; cum tamen quæstio in præsentiarum non sit de qualicunque indictione, sed de tali, sine qua Autoritas Concilij esset nulla; qualem auctoritatem indicendi Concilium Oecumenicum nunquam Imperatori concessit Bellarminus. Et repugnat huic Luthero-Calvinicæ imaginationi non tantum tota antiquitas, ut supra vidimus, sed evidens etiam ratio; etenim si nullus foret Imperator aut Rex, sed omnium Christianarum Provinciarum ac Urbium regimen esset Poliarchicum, utique adhuc Synodus oecumenica convocari posset.

XII. Urget Gerhardus Lib. 2. part. 1. cit. fol. 745. ita ratiocinans. Potestas convocandi Concilia superiorem potestatem in temporalibus includit. Ergo cum hæc non fuerit in primis quatuor Concilij penes Romanos Pontifices, nec illa fuit. Respon. negando Antecedens; quia ad temporalem & Politicam potestatem per se directè & principaliter non pertinet cura Conciliorum & rerum Ecclesiasticarum, nisi ut tanquam Adjuutores Protectores & Executores partes suas agant, uti omnes pij Imperatores agnovèrunt. Et in Synodo VIII. Basiliensi Imperator universaliter pronunciavit: *Nobis Laicis nullo modo licet Ecclesie causis sermonem movere &c.* Itaque subjectio Pontificum in temporalibus sex primis sæculis nihil juris in res Ecclesiasticas Imperatoribus & Regibus contulit; ex quo ruit fundamentum discursus Gerhardi.

XIII. Error secundus est, non competere præsentiam in Concilij Romano Pontifici. Ita Calvinus L. 4. Instit. c. 7. §. 1. & 2. & omnes alij hodie Sectarij apud Gerhardum Lib. 2. part. 1. à fol. 761. & Amelium tom. 2. à fol. 22. Probant. Tum exemplis Concilij Apostolici Luc. 15. & Conci-

liorum veterum Ecclesiasticorum; sicut enim in illo non præfedit Petrus, ita in posterioribus Romani Pontifices præsentiam non habuerunt. Tum quia si Pontificis Romani munus esset, Concilij præesse atque ita moderari, tunc personaliter illis interesse, suoque fungi officio deberet. Atqui hoc non solet facere, sed plerumque tantum Cardinales suo loco delegat. Sicuti in ultimo Concilio Tridentino sub tribus Pontificibus per 18. annos celebrato nullus unquam Pontifex comparuit. Confirmant. Principibus commisit DEUS custodiam legis, ut dicitur ad Rom. 13. v. 4. *Si malè egeris time, non enim sine cause gladium portat.* Ergo Principum est iudicare de lege, quomodo sit servanda; & punire transgressores.

XIII. Error iste aperte adverteatur Sacre Scripturæ, quam tamen unice observandam clamant hæretici. Nam constat ex Joannis ultimo, Pontificem esse Pastorem, & Patrem Universæ Ecclesie: cæteros verò etiam Episcopos & Principes Oves & Filios; siquidem de his dictum fuit v. 17. *Pasce oves meas.* Si autem Pater & Pastor est Summus Pontifex, quomodo non est Præses in Concilij? Vident vim hujus argumenti insuperabilem hæretici, idèoque Gerhards omnium nomine scribit fol. 702. Non negamus simpliciter Episcopo Romano præsentiam, quia in quibusdam Concilij Episcopi Romani Legatos præfedissemus, sed hoc absolute & simpliciter necessarium esse negamus: comprimis verò præsentiam cum Papali auctoritate, ac Monarchica potestate conjunctam ei competere negamus, ut ipsius sententiam omnes Assessores sequi teneantur. Sed quomodo necessarium non est, ut Pastor præsit ovibus, & pater filiis suis, idque cum Papali ac Pastoralis auctoritate & suprema potestate? Quomodo oves non tenentur sequi ductum Pastoris, & filij doctrinam Patris sui? *Filius Sapiens doctrinam Patris.* Proverb. 13. v. 1. Pagninus vertit, *audit disciplinam.* Chaldaeus suscipit. Quomodo etiam Sectarij non absolute & simpliciter negant præsentiam in Concilij Romano Pontifici, si illa, ut ajunt, ad Principes sæculares spectet?

XIV. Respon. ad r. probationem. Negando D. Petrum in Concilio Apostolorum, & Romanos Pontifices in veteribus Ecclesiasticis Concilij non præfedissemus. In Concilio Apostolico Acto. 25. S. Petrum præfedissemus affirmat D. Hieronymus in Epistola ad Augustinum, quæ est II. inter epistolas Augustini; Idque ex eo colligitur, quod Petrus primus surgat, primus loquatur, primus quæstionem definiat, & ut ait Hieronymus, *Omnes ejus sententiam sequantur.* In Nicæno primo Nomine Romani Pontificis præfederunt Hosius Episcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, ut patet ex eorum subscriptione ante omnes alios. In secundo generali Constantinopolitano nemo quidem adfuit Occidentalium; sed eodem tempore celebrabatur à S. Damaso Romæ Synodus Occidentalium, quibus se animo (cum justis de causis corpore non possent) conjungere Orientales Constantinopoli congregati; quod autem PP. Constantinopolitani agnovèrunt Damasum Caput suum; & ipse eos Filios, patet ex epistol. eorum apud Theodoretum. In tertio generali Ephesino præfedissemus Cælestinum Papam per S. Cyrillum Legatum suum, restantur omnes Historici. In quarto generali Chalcedonenſi Legatos Papæ præfedissemus,



fedisse, nec ipsi Sectarij negare audent. Inter fuit quidem Martianus Imperator & sedit primo loco, non tamen praesedit ut Judex, sed ut Defensor contra violentiam, ne Episcopi ad subscribendum vi cogerentur, ut ipsemet testatur Orat. ad Synodum. Molinaeus in suo novo Papatu fol. 148. non negamus, inquit, Cyrillum praesedisse in Concilio Ephesino: at non ut Legatum Papae. Dicitur, Cyrillum praesedisse in primis nomine Caesertini Episcopi Romani, tanquam Legatum ab hoc constitutum: deinde nomine suo tanquam Archiepiscopum Alexandrinum. Ita se habent verba Concilij Ephes. in Part. 2. Act. 3. fol. 240. *Sedentibus in Sanctissima Ecclesia, quae appellatur Maria, Reverendissimis & Sanctissimis Episcopis Cyrillo Alexandria, qui & locum obtinuit Sanctissimi ac Beatissimi Caesertini Archi-Episcopi Romanae Ecclesiae: & Juvenali Hierosolymorum &c. Videatur Forer L. 6. c. 16. de Antiquit. Papat.*

XV. Ad 2. probationem negando sequelam Majoris. Quia absentes plerumque melius per Legatos fungi munere suo possunt; siquidem eorum praesentia multa incommoda procuraret, ut bene ponderant Bellarminus & alij. Nam 1. inquirunt, posset oriri contentio de praecedentia cum Imperatore. 2. Episcopi ejus Majestate terri minus liberè auderent suam dicere sententiam. 3. Numerosus comitatus tantae Majestati conveniens occuparet domicilia, ut Episcopis non esset locus. 4. minus decet Pontificiam dignitatem, subditos sequi, qui potius deberent illam sequi, & Romam proficisci; Atque ideo Papa interfuit Concilij Romanis, & quibusdam alijs, quae ipse vocavit ad se, id est, ad locum, ubi ipse erat, non autem voluit, neque debuit ire ad Concilia alibi congregata. Oclamitant haeretici, has rationes ex mera superbia proficisci, cur enim pudeat Pastorem sequi oves, cum Filius DEI propter illas è caelo in terram descenderit, & Imperator subjectos Principes ad comitia sequatur? planè pharisaicum est, primas cathedras in Synagoga ambire, cum Christus fuisset in novissimo loco recumbere Matth. 23. v. 6. Luc. 14. v. 10. Respon. ad istas cavillas breviter. 1. hanc gravitatem Papae esse pro tuenda Authoritate, quae li pompâ Christus non indiguit alia habens media stectendi, quò vellet, hominum animos. 2. Primas cathedras & primu locum quærere non esse vitium apud eum, qui majoris caeteris est dignitatis. 3. Imperatores in una civitate sui Imperij indicere comitia: Christus etiam descendens de caelo in propria venit Joan. 1. v. 11. Sic nec Papa ad concilia intra suum territorium venire gravatur. Non obest, primos Pontificis humilius se gessisse, quia Ecclesia tunc nondum in tantam crevit arborem ex minimo grano sinapis. Matth. 13.

XVI. Ad confirmationem. Reges ac Principes esse Custodes legis divinae, sed non Interpretes: ac proinde ad eorum officium pertinere, ut edictis suis jubeant eam fidem teneri, quam Sacerdotes tenendam docent: & haereticos ab Ecclesia judicatos coërceant poenis temporalibus, sicuti D. Augustinus docet in epist. 48. 50. & 166. ac pij Imperatores Constantinus, Theodosius, Martianus alijque id saepe fecerunt, ut patet ex L. cunctos populos. C. de summa Trinitate & Fidei Catholica. Et ex toto titulo de haereticis in eod. Cod. *Sum quidem Judex Palatinus, inquit Theodoricus*


Italiae Rex ad Joannem Pontificem, sed vester non desinat esse discipulus. Nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minime discedamus.



CONTROVERS. XXXIII.

QUINAM SINT CONVOCAN-  
di ad Concilium generale.

**I**N Concilijs varia negotia circa Controversias Fidei ac Cleri populique mores se offerunt, quae à certis tantum personis ex diversis statibus hominum selectis pertractari debeant; quanam autem illae sint, jam inquirendum & statuendum.



PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHO-  
LICORUM.

I. **D**octrina prima. Ad Concilia quatuor hominum genera requiruntur & convocanda sunt. Explicatur. Nam imprimis proponi debet status quaestionis, de qua deliberandum & sententia ferenda; ad quod necessarii sunt Theologi, qui in utramque partem disputando rei difficultatem aperiant; sicut in statu politico constituuntur Referentes, qui causam dividendam proponant. Deinde judicandum, quid verius sentatur; quod pertinet ad Praelatos Ecclesiae judiciali potestate praeditos, nim. Episcopos, Abbates, Generales &c. Porro numeranda sunt suffragia, in quam partem plures inclinent, quia tantum juxta majorem numerum suffragionum fertur sententia; cui negotio subserviunt Notarij singulorum vota annotantes. Demum sententia est executioni mandanda; ad quod saepe opus est saecularium Principum auxilio, qui vel personam liter comparent, vel suos Legatos submittant.

II. **D**octrina secunda. Episcopi & Praelati in Concilijs non tantum sustinent personam Conciliariorum, sed etiam Judicium, quod minus caeteris praesentibus non competit. Ita omnes Catholici. Est autem hoc discrimen inter Judices & Consiliarios, quod istorum sententia non habeat vim obligandi, sed tantum dirigendi; illorum autem sententia subditos obligat, perinde ut in Consultationibus non attenditur numerus Consiliariorum, quia Judex potest pauciores sequi; imò omnibus contradicere, hoc posito. Probatür catholica doctrina. Tum quia definire in Concilijs ea, quae sunt credenda vel agenda, proprium est officium Pastorum; etenim proprie pascere est ita docere, ut teneantur alij credere. Atqui Soli Episcopi sunt Pastores. Ergo &c. Tum quia veteres passim testantur, Concilia esse Episcoporum Euseb. I lib. 5. c. 23. S. Cyprianus epist. ad Julianum. Ambrosius Epist. 23. Hieronymus Lib. 2. contra Ruffinum. Augustinus epist. 119. Athanasius, Leo M. & alij. Unde etiam omnium Conciliariorum haecenus celebratorum decreta ab Episcopis solis facta fuisse, patet ex subscriptionibus.

Ff

Quare

gha.  
er  
ologia  
mica  
XI  
92



Quare falsum est, quod Amestius Tom. 2. fol. 17. scribit, familia decretâ potuisse & posse ab alijs fieri; quippe ex illa universali Ecclesiæ praxi colligitur, ex Apostolica traditione ita & non aliter fieri oportere. Tum quia negotia Ecclesiastica & publica à Personis Ecclesiasticis & publicis tractari debent. Tales autem sunt soli Episcopi. Tum quia nulla est Respublica quæ non habeat ordinem in comitijs, ita ut non quicumque de plebe, sed tantum Principes & Capita cæterorum locum & suffragium habeant. Cur ergo idem non habeat Respublica status Ecclesiastici. Tum denique quia in Concilijs solorum Episcoporum & Prælatorum sententiæ numerantur; nec licet pluribus refragari. Ergo isti non tantum Consiliarios, sed etiam Judicum personam sustinent; alioquin non oporteret attendere dignitatem Episcopalem, sed potius doctrinam: & Doctõribus licet nullâ dignitate præditis plus deferendum foret, quod tamen non fit in Concilijs.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

III. **E**rror primus. Non solum Episcopi & Prælati, sed etiam Laici in Concilia admittendi sunt. Ita Calvinistæ apud Amestium Tom. 2. à fol. 16. Et Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 1. à fol. 757. alijque Sectarij. Pro fundamentis hujus adducunt celebre illud Concilium Actor. 25. ubi, inquit, Apostolis præsentibus locum tamen & suffragium habuerunt Presbyteri cum alijs. *Ascendentes enim Paulus & Barnabas ad Apostolos & presbyteros excepti sunt ab Ecclesia & ab Apostolis & Senioribus v. 4. Congregabantur Apostoli & Presbyteri, ut discernerent de hac re. v. 6. Apostoli Presbyteri & Fratres scripserunt sententiam communem, & miserunt delectos viros, qui eam Antiochiam deferrent. v. 22. & 23.* Hinc ergo sic probant prædictum errorem suum. 1. Concilio Apostolico loc. cit. non soli Apostoli, sed etiam seniores & tota Ecclesia interfuit non tantum audiendi, sed etiam judicandi gratiâ. 2. Nonnulli Laici virtute & doctrinâ superant Episcopos, ideoque magis idonei sunt ad quæstiones fidei decidendas. Sic Ruffini, lib. 1. Histor. Ecclesiast. c. 4. refert, in Synodo Nicena Senem quemdam Laicum non admodum peritum Philosophiæ & Theologiæ plus præstitisse adversus Philosophos, quam cæteros Episcopos omnes. 3. Non minus Laicorum, quam Clericorum est, scire, quid credendum. Ergo & ipsi admittendi ad iudicium, ubi eorum causa agitur. 4. Concilium Universale totam Ecclesiam repræsentat. Ergo omnis generis homines complecti debet, qui sunt in Ecclesia. 5. Laici si excludantur, committitur Personarum acceptatio, quam Valde improbat Jacobus Apostol. c. 2. v. 1. 6. Unius etiam Laici sententia S. Scripturæ authoritate magis munita proponi debet sententiæ totius Concilij. 7. In Ecclesia primitiva multæ causæ Fidei nostræ coram populo tanquam Judice fuerunt disputatæ.

IV. Si argumenta ista aliquid virium haberent, evincerent etiam mulieres in Concilium admittendas esse. Atqui hoc est planè absurdum. Ergo & Antec. Probatur sequela, Quia singulæ

allatæ rationes æquè pro mulieribus ac pro viris militat, ut consideranti patebit. Probatur Min. Quia Apostolus 1. Cor. 14. v. 34. scribit: *Mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur illis loqui; ut neque enim est mulieri, loqui in Ecclesia.* Unde nec ipsi hæretici mulieres suas ad sua conciliabula solent admittere. Si ergo prædicta argumenta nihil probant de mulieribus, etiam de viris universim & indiscriminatim sumptis nihil probabunt. Eadem rationes ab Adversarijs allatæ minimè illis suffragantur. Respon. ad 1. in concilio Apostolorum fuisse Apostolos tanquam Judices ad definiendum: Presbyteros ad consultandum: Plebem non vocatam adfuisse & consensisse non definiendo, vel disputando, sed tantum audiendo, & non reclamando; quod ita esse, defumitur tum ex consuetudine Ecclesiæ optimo Scripturarum Interprete, tum ex ipso contextu, ex quo nunquam extendent Adversarij, omnes ibi congregatos dixisse sententiam. Ad 2. ad sententiam judicalem non sufficere virtutem & doctrinam, sed etiam jus ac potestatem requiri, quam in rebus Ecclesiasticis ac spiritualibus non habent Laici; quantumvis aliâs probi sint. Nominatim ad Concilium Nicænum, ut scribit Ruffinus Lib. 16. cap. 3. Laici nec sunt vocati, nec Actis Concilij interfuerunt, sed suâ sponte venerunt, ut extra Concilium disputarent cum Episcopis, quos audierunt ex toto orbe eò convenisse. Fieri ergo potuit, ut Laicus aliquis magnæ sanctitatis ac Spiritus extra Concilium advertus Philosophos multum præstiterit. Sed quid ex isto contra nos? cum minimè inde sequatur, eundem vel ad Concilium fuisse vocatum, vel vocari debuisse. Ad 3. causam Fidei ad Prælatos pertinere, ut Doctores & Judices: ad reliquos verò tanquam ad discipulos; siquidem etiam in rebus proprijs aliorum iudicio standum est. v. g. in iudicio criminali, utique de reorum capite agitur, & tamen eorum sententiâ non exquiritur: cum de bello consultatur, utique de vita & fortunis civium agitur, qui tamen in concilio non admittuntur. Ergo falsum est hoc principium, cum de alicujus causa agitur, ipse in iudicium admitti debet. Ad 4. Sufficere Capitulum præsentiam ad repræsentandam totam Ecclesiam; sicuti pictores ad umbrandis civitatibus non singulas ædes aut plateas, sed tantum potiora ædificia, turres, templa, palatia delineant. Ad 5. acceptationem personarum committi, quando prælatio fit ob causam impertinentem v. g. propter consanguinitatem vel divitias &c. At cum Ecclesiastici in Concilio præponuntur Laicis, id non fit ob causam impertinentem, sed propter jurisdictionem officij, adeoque non est acceptatio personarum. Ad 6. Causam alicujus privati posse anteponi sententiæ Concilij Generalis ante definitionem, dum causa adhuc discutitur: & post decisionem, si constet, Concilium fuisse illegitimum: nullatenus verò post definitionem Concilij legitimi. Urget Amestius fol. 18. quæ sententiâ in discussione anteponenda est, illa debet etiam in & post definitionem anteponi; sicut enim conclusio sequitur ex præmissis, ita definitio ex discussione; veritas quippe unica est, & unius eisdemque valoris sive post sive ante hominum placita spectetur. Concedimus, veritatem esse unicam; sed, ut de hac nobis constet, comparationem esse instituendam inter privati hominis Sententiam, & definitionem Oecumenicæ ac receptæ Conci-



Concilij, negamus quia omni rationi ac praxi repugnat. Ad 7. denique iudicium hoc non fuisse publicum, sed privatum, & datum populo, cum non posset aliter fieri. Nam cum hæretici impune venissent inter Catholicos, & multos seducant, expedit quodque publicas coram populo inire disputationes, & relinquere iudicium populo, ut sequatur, quos viderit melioribus rationibus niti; perinde fere ut 3. Reg. c. 18. Elias Propheta reliquit populi arbitrio, ut vel Deum, vel Baal sequeretur, prout vel hunc vel illum preces per ignem exaudisse viderit.

V. *Error secundus.* Præsules in Concilij congregati non habent potestatem iudicandi de fide, sed tantum indagandi sensum Scripturæ, in qua Spiritus Sanctus in omnibus controversijs fidei jam protulit sententiam; ideoque convocati sunt Doctores, non ut causam dicant, sed ut sensum æterni Iudicis disputando investigent, & tantum vallet uniuscuiusque dictum, quantum ex Sac. Scriptura probaverit, sive Laicus sive Clericus sit. Ita ex mente cæterorum Amelii Tom. 2. fol. 16. Iste error Sectariorum unice fundatur in hoc, quod omnia credenda continentur in Scriptura, quod fundamentum esse ruinofum ac nullius momenti, in Controversijs de Sac. Scriptura fusè ostendimus. Adhæc praxis Vet. Conciliorum docet, Apollolos non tantum fuisse occupatos in explicanda Sac. Scriptura, sed etiam in dubijs, in traditione, vel miraculis etc. decidendis. Ipsam quoque Sac. Scripturæ interpretationem non cuiusvis Laici, sed Sacerdotibus attribuit DEUS Malachie 2. v. 3. *Labia Sacerdotis custodiam scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini Exercituum est, nempe non naturæ, sed officio; Sacerdotes enim licet homines nobis similes, tamen Angelico munere funguntur, & legationem à DEO sibi commissam obeunt.*

CONTROVERS. XXXIV.

AN CONCILIA UNIVERSALIA sint infallibilia.

**P**eræ pretium videtur, aliquid hic præmittere de modo procedendi in Concilij, quem Gaspar Cordillus Villalpandus Segobienfis, Doctor Theologus D. 7. de Concilio Tridentino (cui ipsemet interfuit loco Episcopi Abulensis) totum tunc observatum in hæc fere puncta describit.

Primò. *Deliberatur, quibus de rebus, & quo tempore in concilio agendum sit.* Secundò. *Si de aliqua hæresi agatur & hæretici, quorum causa agitur, præsentés sint, ipsimet audiuntur, ut suam mentem & fundamenta aperiant, si verò absint, eorum loco Catholici Doctores designantur, qui lectis hæreticorum libris de proposita controversia coram universa Concilio & populo in utramque partem disputent.* Tertiò *nominati Theologi ordine, quo quisque in gradu theologico & Doctorali antiquior est, propositam questionem exactè discutunt & hæreticorum opiniones, argumentaque proponunt, denique suam sententiam substitunt, eamque ex Scriptura, Concilij, & alijs probationibus confirmant, ac hæreticorum argumenta dissolvunt.* Quartò. *His disputationibus per aliquot dies auditis, indictis etiam jejunijs & precibus Prælati ex varijs Nationibus de-*

lecti conscribunt canones seu definitiones, quas de proposita questione à Concilio definiendas existimant, quas singulis Patribus scriptas tradunt, ut domi legere, considerare, & iudicare valeant. Rebus ita consideratis convenitur; excluso populo, admisis tamen Principum Oratoribus & Theologia Doctoribus tanquam testibus. Tunc unusquisque Patrum de tradita sibi definitione suam sententiam pronuntiat, num sequenda, an repudianda, an nonnihil immutanda sit? Quintò. *In dicendis autem sententijs hic ordo servatur, ut Legati Pontificij, qui totum Concilium moderantur, nullum suffragium ferant, licet durante Concilio sapius ad Pontificem scribant, ejusque mentem de propositis questionibus explorent, qui tamen adeo modestè respondet, ut tantum instar specialis Doctoris suam mentem aperiat, & necdum Papali Autoritate definat, nec quemquam perstringat, sed cuiuslibet liberam potestatem relinquat, reservatâ sibi postremâ Sententiâ & totius Concilij approbatione aut rejectione.* Sextò. *Sententiam ergo primò dicunt Cardinales non-Legati, tum Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, Generales Ordinum Religiosorum, & in quolibet statu prius ille, qui in eostatu antiquior, nec Episcopi titulares excluduntur, qui habent titulum & jus in aliqua Ecclesia, sed per hostium dominatum administrare non valent, sicuti hodie multi Suffraganei Episcoporum habent titulum Episcopalem in aliqua Provincia Turcarum, & sunt veri Episcopi, sed sine actuali administratione. Interea dum dicuntur sententia, Secretarius in medio constitutus calamo excipit, & ne ipsam erret, qua quisque dixerit, scripto ipsi tradit.* Septimò. *Deputati Patres, qui primos canones consecraverunt, suffragiorum numerum ineunt, & ex mente plurium, si opus sit, corrigunt, correctos iterum singulis tradunt domi examinandos. Rursus convenitur visum, quid de correctis canonibus censetur, eodem quo prius ordine singulis interrogatis, idque ter, quater aut sapius mutando, addendo, detrachendo &c. donec saltem pluribus placeant.* Octavò *tandem indicitur certa dies ultima ac decretoria sententia ferenda, quo die post celebratum officium Spiritus Sancti supremus Præsides Concilij certâ precandâ formulâ gratiam Spiritus Sancti invocant; quâ simul unus Patrum ex altiori loco orationem habet propositio convenientem. Tunc leguntur Canones ultimo emendati, & singulorum sententia rursus exquiritur, qui uno verbo respondent: placet, vel: non placet, & adhuc unicuique liberum est, mutare sententiam; plerumque autem, qui prius aliter senserunt, mutatâ Sententiâ cæteris accedunt; sic ex plurium iudicio decretum formatur summi Pontificis examini transmittendum &c.*

Ex quo processu liquet, quàm sapienter cautè ac cogitatè Sacra Concilia procedant, & quanti propterea faciendâ sint illorum decreta etiam secundum humanam scientiam æstimata. Unde mirum non est, eadem Sacra Concilia processu tam deliberabundo tamdiu protrahi, sicuti ultimum Sacrum Tridentinum Concilium per ipsos 18. annos licet interruptim fuit productum.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Concilia Generalia legitime celebrata, & tandem à Summo Pontifice approbata sunt infallibilia, non quidem ex humana prudentia & doctrina tot doctissimorum Præfulum (qui tanquam homines falli possunt, & sæpenumero decepti fuerunt) sed ex peculiari

gha  
er  
ologia  
mica  
XI  
92



culiari assistentia Spiritus Sancti. Ita omnes Catholici Doctores. Probatur ex Sac Scriptura. Actuum 15. v. 15. Apostoli prædictam Spiritus Sancti assistentiam experti dicunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* scil. ex promissione Christi. Joan. 14. v. 26. *Spiritus Sanctus docebit vos omnia &c.* quæ proinde non tantum ad personas Apostolorum, sed etiam ad eorum Successores pertinebat juxta promissionem Christi Matth. 16. v. 18. Nam si Concilia errarent, tota Ecclesia in errorem induceretur; quia omnes Fideles debent amplecti sententiam suorum Præfulum Heb. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis.* Et quocumque Pontifices approbant aliquod Concilium, jubent illud recipi. Sic Pius IV. in Bulla confirmante Tridentinum ait: *Mandamus in virtute S. Obedientia & subpanis à Sac. Canonibus constitutis alijsq. gravioribus arbitrio nostro infligendis universis & singulis Episcopis &c. ut decreta & statuta prædicti Concilij diligenter observent, & à subditis suis inviolabiliter observari faciant, contradictores quoslibet & contumaces per sententias, censuras, & penas Ecclesiasticas compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, brachij secularis auxilio.* Patet autem ex 1. Tim. 3. v. 15. Ecclesiam esse *columnam & firmamentum veritatis*, quæ secundum omnem universalitatem suam perfecte à Concilio Generali repræsentatur: nec ulla cogitari potest Congregatio, quæ majoris sit autoritatis ad aliquid stabilendum, itémque ad obligandum singulos Fideles, ut credant vel observent, quod fuit statutum. Idem ostenditur ex eo, quod ipsa Concilia Generalia à Papa confirmata satis existunt, errare se non posse, cum multa proponant fide credenda, & oppositum tenentes tanquam hæreticos damnent. Sic damnatus est Arius in Concilio Nicæno, Macedonius in Constantinopolitano, Nestorius in Ephesino, Eutyches in Chalcedonensi, atque ut alios taceam, Lutherus & Calvinus in Tridentino. Patres quoque adducti apud Bellarminum Lib. 2. de Concil. c. 4. Theologi, atque universi Fideles idem sentiunt de ejusmodi Concilijs: ac proinde certissime credunt, quidquid ob ipsis credendum proponitur, adeo, ut dictum illud S. Gregorij M. Lib. 1. Epist. c. 24. ab ijs frequenter usurpetur: *Quatuor prima Concilia Generalia recipienda esse, sicut quatuor Evangelia*, nimirum infallibilem veritatem eorum, quæ toti Ecclesiæ credenda proponunt. Hic autem tam communis sensus omnium aut verus est & certus: aut dicendum, nihil esse certi in tota Ecclesia, quod citra apertam hæresin affirmari non potest.

II. Cavillatur hinc Amesius Tom. 2. fol. 29. pia Concilia in hunc modum à nobis impietatis accusari; quasi novos articulos edidissent fidei Catholicæ. Verum hæc calumnia sublatâ æquivocatione in nihilum abit. Negamus enim, Papam aut Concilium unquam se articuloꝝ fidei constituisse Judicem, eo sensu, quem urgent hæretici; quasi Papa vel Concilium judicare præsumat, an articuli fidei suscipiendi sint; quodsi judicare de fide nihil sit aliud; quam in dubio, num aliqua sententia ad fidem pertineat, vel non pertineat, discernere, à qua parte stet veritas, tum omnino affirmamus, Papam aut Concilia de fide judicare, novósque articulos edere.

III. *Doctrina secunda.* Concilium nullum etiam Generale est infallibile absque approbatione Romani Pontificis. Ita Bellarminus Lib. 2. de Concil. c. 11. & plerique Theologi apud Tannerum

Tom. 3. D. 1. dub. 8. Probatur. Tum quia satis constat ex Scriptura, supremam Spiritualem potestatem post Christum fuisse collatam Petro, & jusque Successoribus, adeoque Papam esse Caput Ecclesiæ. Ergo vero-simile non est, quod Autoritas infallibiliter definiendi ea, quæ ad fidem spectant, sit collata corpori Ecclesiæ independentem à sui Capitis sententia. Tum quia cum Patres in Concilijs Generalibus congregati omnium suarum definitionum confirmationem à Summo Pontifice petere soleant, satis ostendunt, ipsorum judicium posse retractari, donec accesserit approbatio Papæ: ac proinde ante hanc approbationem esse fallibile & errori obnoxium; quodsi etiam contingeret, ejusmodi Concilium à Summo Pontifice reprobari, nullus fidelium teheretur illius definitiones sequi, quod magnum esset incommodum ex hypothesi, quod esset infallibile. Tum quia experientia docuit, sine Pontifice etiam amplissima Concilia errasse, v. g. Antiochenum, Ariminense, & Mediolanense Arianismum favorum contra mysterium SS. Trinitatis. Ephesinum II. in Eutychetis hæresin deflexit contra mysterium Incarnationis. Constantinopolitanum V. & VI. contra cultum Imaginum deliquit. Basileense, Constantiense, & Pisanum contra Pontificis potestatem erraverunt. Hinc Paschalis Papa cap. 4. de electione ait, *omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ Autoritatem robur accepisse, dum scilicet eorum definitiones vel prius factæ sunt juxta particularem instructionem per Legatos Pontificios præmissam, vel postea ab istis ad Papam missæ ab eodem examinata & approbata fuerunt.* Addit rectè Bellarminus loc. cit. etiam si Concilia tale robur prius per peculiarem Legatorum Pontificiorum instructionem habeant, adhuc tamen eadem non esse infallibilia ante Papæ approbationem. Quia finitas Concilij nascitur ex consensione & conjunctione Corporis cum Capite. At Caput nondum aperuit ultimo suam mentem; tamen enim Legati cum aliqua instructione præsent nomine Papæ, tamen non sunt reipsa Pontifices summi, nec sciunt, quæ sit ultima mens Papæ, nec habent illud privilegium non errandi, quod habet Summus Pontifex.

IV. Dicunt Adversarij. Vel Spiritus Sanctus ante Pontificis approbationem per Episcopos in Concilio congregatos locutus est, vel non? si prius, tum Conciliorum decreta per se fuerunt infallibilia independentem à Pontifice; quia Spiritus Sanctus non potest errare, per quemcunque loquatur: si posterius, tunc nec per approbationem Pontificis reddentur infallibilia; siquidem non amplius loquitur Spiritus Sanctus per Episcopos post finitum Concilium, consequenter tota infallibilitas Conciliorum à solo Pontifice proveniret, quod est absurdum, & repugnat Doctrinæ nostræ primæ. Respon. ex Controvers. 2. §. 8. Sicut Sac. Scriptura ante approbationem Ecclesiæ fuit Verbum DEI, sed nobis ignotum, nisi Ecclesia declarasset: ita ante approbationem Pontificis Spiritus Sanctus fuit locutus per illa Concilia, quæ postea à Pontificibus fuerunt approbata; attamen non constitit nobis, quod Spiritus Sanctus per illa locutus fuerit, nisi subsequens approbatio Pontificum nobis manifestasset; adeoque Pontifex non facit, sed declarat Concilium infallibile.

V. Urgent. Si Christus Episcopis in Concilio congregatis assistit, tunc sunt infallibiles etiam

feclusâ



seclusa Pontificis approbatione, ut per se patet, cum Christus sit DEUS. Atqui verum est antecedens juxta illa verba Christi Matth. 18. v. 20. *ubi duo vel tres* (quanto magis, ubi sunt tot centeni) *sunt congregati in nomine meo* (id est, mea causa vel propter me) *ubi sum in medio eorum*. Ergo & consequens. Pro solutione hujus argumenti & vero intellectu verborum Christi duo sunt advertenda ex Maldonato, Cornelio à Lapide & alijs Sac. Scriptorum Interpretibus. *Primum*. Ut aliqui dicantur in nomine Christi congregati, tria requiruntur. 1. Ut bonâ intentione ad præstandum aliquid DEO beneplacitum, & hominibus salutare conveniant. 2. Ut illa res, quam tractandam suscipiunt, eorum statui & officio congruat; sicuti Ecclesiastica Ecclesiasticis, non Laicis conveniunt. 3. Ut modo rationabili & cum debita consultatione & deliberatione procedant. Hæc qui negligenter, non convenirent in nomine Christi, id est, secundum ordinem & voluntatem Christi, qui per Apostolum monuit 1. Corinth. 14. v. 40. *Omnia homines & secundum ordinem fiant*. *Alterum*. Christum esse in medio, non significat physicam præsentiam; Nam sive consideretur quâ DEUS, aliâs ubique est etiam apud malos in nomine diaboli congregatos: sive quâ homo, qui non est ubique, ubi duo vel tres in nomine ejus congregantur. Significat igitur moralem præsentiam, ut bene Tirinus in hunc locum, id est, attentione, quid agatur, & directione, ut bene agatur; quæ directio non significat protectionem infallibilem ab omni errore, sed talē assistentiam, ut vel non sine eos errare, vel errores permisos deinde corrigat, & in majus bonum convertat, sicuti fecit cum duobus discipulis in Emaus euntibus, inter quos medius primò permisit illos errare, postea correxit, eorumque fidem ad aliorum salutem direxit. his notatis. Respon. ad instantiam. Quando Episcopi ad Concilium congregantur absente Pontifice, DEUM esse in medio illorum non determinatè & absolute reddendo eos infallibiles: sed ita dirigendo, ut vel non errent, vel eorum error à Pontifice corrigatur. Nec mirum videri debet, Concilium sine Pontifice non reddi à DEO absolute infallibile, cum illud sit Corpus sine Capite, adeoque non perfectè representet universam Ecclesiam, ad quam in primis promissio divina spectat.

*VII. Doctrina tertia*. Infallibilitas Conciliorum generalium etiam à summo Pontifice approbatorum non extendit se ad omnia dicta & facta eorum, sed non nihil limitanda est. Ita communiter Theologi, qui triplicem limitationem assignant. 1. est, argumenta, quibus Concilia probant suas definitiones, non sunt infallibilia. Ratio est, quia infallibilitas definitionum non niritur virtute probationum, sed inspirationis divinæ, quæ discursus humanos solum postulat tanquam præviam dispositionem. 2. est, definitiones etiam seu sententiæ judiciales de particularibus personis in concilio latæ v. g. utrum hic vel ille sit hæreticus &c. non sunt extra periculum erroris. Ratio est, quia per falsam hominum informationem facile Judex decipi potest: nec interest totius Ecclesiæ talis sententiæ veritas; proinde Spiritus Sanctus non infallibiliter assistit, nisi generalibus definitionibus ad totam Ecclesiam spectantibus. 3. est, fusior declaratio fidei, prout in actionibus vel Sessionibus proponitur, non est totali-

ter de fide, sed tantum in tenore verborum, qui postea in Canonibus proponitur. Exemplum habemus in Tridentino Sess. 13. cap. 3. ubi dixerat, *totum Christum in Eucharistia sub quavis parte panis contineri*, quod tamen postea can. 3. restrinxit, scilicet *totum Christum contineri sub singulis speciebus separatione factâ*; unde colligunt Doctores, non esse de fide, quod in speciebus continuis sub quolibet parte totus Christus contineatur.

*VII. Allatis tribus limitationibus addunt nonnulli quartam quoad mores, quod Conciliorum leges & decreta moralia in his non sint infallibilia, quandoquidem multa non fuerunt recepta vel per desuetudinem abolita, vel à posterioribus Concilijs correctâ, teste Augustino Lib. 2. de Bapt. contra Donatistas c. 3. Verum hæc limitatio merito alijs Doctoribus non probatur. Quia Spiritus Sanctus non solum in fide, sed etiam in morum doctrina dirigit Ecclesiam, sicuti Apostoli Actor. 15. suum decretum de abstinentia à certis cibis (quod non ad fidem, sed ad mores pertinebat) Spiritui Sancto adscripserunt. Et Summi Pontifices non solum fidei dogmata, sed etiam moralia decreta Conciliorum approbant, suæque approbatione infallibilia reddunt, ut patet ex Bulla Pij IV. quâ Concilium Tridentinum confirmavit, ajens, se approbare omnia, quæcumque ibi decreta & definita fuerint vel ad confutandas hæreses, vel ad emendandos mores. Non obstat, quod aliquæ leges Conciliorum vel non receptæ sint, vel rursus in desuetudinem venerint; quippe hoc non ideo est factum, quod aliquid erroris in illis latuerit, sed quod infirmitati hominum nimis difficiles fuerint, vel mutatis circumstantijs minùs expediverint. Nam in legibus duo distingui oportet, nempe honestatem materiæ præscriptæ, & obligationem ad eam servandam; in priori nunquam errarunt Concilia, quia nihil unquam præceperunt, quod secundum se inhonestum & injustum foret: nec in posteriori, quia non voluerunt absolute obligare subditos, sed cum tacitis conditionibus, si subditi acceptarent, & eadem circumstantiæ permanerent, ut cum alijs Theologis docti in Disput. de Legib. thes. 26. Sublatis igitur conditionibus cessat voluntas obligandi absque ullo errore, sicuti etiam quædam leges Apostolorum v. g. de vigilijs & Agapis (epulis pauperum, de qua voce videri potest Tirinus in indice nominum) per abusus paulatim irrepentes sublatae fuerunt, nec idcirco Apostoli illas leges ferendo errarunt. S. Augustinus loc. cit. ajens *plenaria Concilia à posterioribus fuisse correctâ & emendata*; per plenaria Concilia, vel non intellexit universalia, sed nationalia ab errore non immunia: vel non intellexit nomine emendationis commisi erroris correctionem, sed moralium legum revocationem tanquam præsentis temporis ob mutatas circumstantias non amplius congruentium.*

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HAERETICORUM.

*VIII. Error primus*. Concilia Generalia, etiam si à Romano Pontifice sint approbata, non sunt infallibilia. Ita Lutherani apud Gerhardum



hardum L. 1. part. 2. cap. 26. à fol. 476. Calvinista apud Amesium Tom. 2. à fol. 24. Et aij Sectarij, quibus omnibus unum hoc est commune; *Verbum DEI esse unicam, puram, & perfectam lucernam pedibus nostris*; non omnes, qui Episcopi, vere esse tales: Volunt fallibilitatem Conciliorum Generalium evincere his fere argumentis. *Primum.* Sacerdotes omnes Veteris Testamenti sæpe accusantur non solum improbitatis, sed etiam ignorantiae & erroris. Itaque 56. Item. 6. Ezech. 22. Offensa 6. &c. Ergo Concilia ex istiusmodi hominibus conflata possunt errare. *Secundum.* Concilium Judæorum Praeside summo Pontifice Caiapha foede ac pernitiosè erravit in rejectione & condemnatione Christi. *Tertium.* In Ecclesia etiã novi Testamenti prædictum fuit, falsos fore Doctores, sicuti olim fuerunt pseudoprophetae 2. Pet. 2. Actor. 2. &c. *Quartum.* In omni cœtu multitudinis sæpe accidit, ut major pars vincat meliorem. Ergo Concilia, in quibus decreta sunt secundum suffragia majoris partis, possunt errare. *Quintum.* Si Concilia à Pontifice confirmata ita gubernantur à Spiritu Sancto, ut infallibilia sint, eorum decreta, erunt paria Scripturae Sacrae. *Sextum.* Patres nullo verbo innuunt, auctoritatem Conciliorum pendere à Confirmatione Romani Pontificis. Unde rectè Calvinus Lib. 4. Instit. c. 9. §. 3. scripsit: *Quod in Ecclesia remanere veritatem non putent, nisi inter Pastores constet: nec Ecclesiam ipsam consistere, nisi in Concilijs Generalibus emineat, multum abest, quin id verum semper fuerit.* *Septimum.* Aliqua Concilia Generalia, de facto erraverunt, & à Patribus Gregorio Naz. epist. ad Procop. Isidoro, Leone &c. fuerunt reprehensa.

IX. Errorum hunc supra jam efficaciter rejecimus. Et certè quisquis eum tenet, & nullum Concilium, quod representat universam Ecclesiam, admittit tanquam infallibile, Sacrae Scripturae & praxi totius Ecclesiae contradicit. An non Actor. 15. Concilium Apostolorum tanquam infallibile fuit ab omnibus habitum? Quis unquam quatuor prima Concilia nisi apertè hæreticus vel in dubiũ vocavit? Horum decreta fidei pari cum Evangelij hunc receperunt omnes p̃i Catholici ante & post Gregorium M. Porro rectissime dicitur, totam Ecclesiam representari à Concilio generali, ad quod vocantur, quotquot Catholici sunt Episcopi, accedente confirmatione Romani Pontificis. Ita semper ubique, & omnibus Fidelibus fuit persuasum, & jure merito. Nam Christus prævidens difficultates in Ecclesia sua exorturas promisit suis Spiritum Sanctum, qui non solum dirigeret universalem Ecclesiam, sed singulariter Episcopos, quos à Fidelibus audiri voluit. Hæc autem promissa Spiritus Sancti assistentia maxime in Concilio generali accidit, ubi vera Fides & Sac. Scripturae sensus declarantur, & oppositæ hæreses damnantur. Cum ergo Episcopi sint Pastores, subditi autem Oves pastorali eorum curæ commissa: & quidquid isti Pastores cum Summo Pastorem Papa constituunt, absque dubio in cœlo ratum sit, atque huic fides ab illis adhiberi debeat, fieri non potest, quin verissime Concilium generale representet Universam Ecclesiam; siquidem hæc connectitur cum illo, unumque ex eis Corpus efficitur.

X. Cæterum quod Sectarij confugiant ad Sacram Scripturam, rati *Verbum DEI esse unicam, puram, & perfectam Lucernam pedibus nostris*, atque il-

lud solum esse infallibile, quod ab ipsis Sacrae Scripturae conforme invenitur; hoc solenne est omnibus hæreticis, & ipsorum *Characteristica*, quæ apud illos explet omnes Ecclesiae Notas: quæ illis omnem Doctrinam complexionem facit: credendi Regulam statuit: legitimam Missionem reddit: defectum Miraculorum supplet: Antiquitatem præstat: Successionem præbet: Catholicos illos efficit: Sacram denique eisdem paginam constituit. Quid autem reipsa est Hæc? *Est impugnatione Legis ex verbis legis.* Ambrosius in c. 3. Epist. ad Tit. *Est sacrilegium litteræ.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theolog. *Est illecebra impietatis hanc circumjecta: statua ad omnes transeuntes se obvertens: communi utriusque pedis cothurnus &c.* Idem orat. de S. Athanas. *Est ars diaboli, quæ & Christum tentare ausus.* S. Chrysothom. hom. contra hæreticos. Tom. 7. *Est aurum, argentum, Vestis versicolor DEI, quibus hæretici idola sua operunt.* S. Augustinus Lib. 3. de Bapt. c. ult. *Est denique Evangelium non Christi, sed hominis, modo diaboli, cum Verbum DEI non in legendo sed intelligendo consistat.* Et planè indignum atque absurdum est, hæreticos privato cujusque judicio tribuere, ut decreta Concilij Generalis juxta Sacram Scripturam examinent, teneatque, quæ huic conformia judicaverit: & nihilominus cogere, ut relicto proprio sensu Confessorij sui placita amplectatur, quæ tamen ipsimet fallibilia esse fatentur; quasi verò plus fidei dandum esset paucis quibusdam rudibus superbiã turgidis, terrena sapientibus, cani & sanguini immeritis Prædicantibus, quam tot ac tantis virtute, doctrinã, & Sanctitate clarissimis Patribus in Concilio generali ex universo Christiano orbe congregatis, & assistentiã Sancti Spiritus munitis? Argumenta in oppositum allata nihil penitus evincunt. Prius autem, quam ad illa respondeamus.

XI. Advertendum, non convenire inter Catholicos Doctores, an Synagoga Judaica fuerit infallibilis? Affirmant Mart. Becanus in Analogia utriusque Testamenti c. 6. q. 2. Et c. 11. q. 2. Adamus Tanner in Apologerico Colloquij Ratisbonensis c. 11. & 12. & plures alij triplici hoc argumento inducti. 1. Sacerdotibus Leviticis promissa fuit à DEO veritas Deut. 17. v. 9. *Venit ad sacerdotes Levitici generis & ad Judicem, qui fuerit illi tempore, quævisque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* 2. DEUS gravissimè præcepit, ut subditi eorum iudicio starent, eod. loc. v. 12. *Qui autem superbiert nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* At si fallibilis fuisset ejus Sententia, cur DEUS tam severe ad eam amplectendam obstrinxisset sub pœna capitis? 3. Aliàs subditi nunquam fuissent in animo quieti, semper timentes aliquem errorem Judicum. Addunt tamen hanc infallibilitatem præsentem Christo exspirasse, qui tanquam infallibilis Magister veritatis erat propositus. Negant nonnulli Synagogam Judaicam fuisse tam infallibilem; quam nunc est Ecclesia Christiana, sed DEUS illam rexit submissis interdum Prophetis illorum mores corrigendo. Prior opinio est quidem communior: Posterior tamen non minus videtur probabilis, eamque innuit Bellarminus Lib. 2. de Concil. cap. 6. resp. ad 3. ajens: certiores & majores promissiones habet DEI Ecclesia, quam Synagoga, de qua hucusquam legitur, quod sit *columna veritatis*, quod de Ecclesia scribit Apostolus 1. Timoth. 3. v. 15. Ad 1. igitur argu-



argumentum Becani, Tanneri &c. respondent Authores posterioris hujus opinionis, verba illa Deut: *judicabunt iudicij veritatem* non habere vim prædictionis aut promissionis, sed præcepti, hoc est, iudicare debent; est quippe familiare Hæbræis, futurum pro imperativo usurpare, ut in decalogo, *Diligas pro diligas Dominum Deum tuum &c.* Videatur Tirinus in cit. cap. 17. Deut. Ad 2. respondent, etiam filios parentibus suis sub poena capitis debuisse obtemperare; DEUS enim Deut. 21. v. 18. *iussit inobedientes filios lapidari*; an ideo parentes in suis mandatis sunt infallibiles? sufficit ad obligationem obediendi mandatum rationabile nullo evidenti errore inquinatum; quod cum valde necessarium sit ad publicam pacem & tranquillitatem, DEUS tam severe præcipit observari, non propter infallibilitatem. Ad 3. respondent, tranquillandæ conscientiæ sufficere probabilitatem; alioquin nunquam essemus quieti in hac vita; quia plurima Sciri certo non possunt, ut docent Theologi Morales de conscientia probabili. Cum igitur utraque opinio suo non destituantur fundamento, & ambæ objectionibus satisfaciunt, ipsæ pro comodo nostro utemur neutri alligari.

XII. Respon. nunc ad argumenta hæreticorum, quæ supra s. VIII. doctrinæ nostræ Catholicæ opposuere. Ad 1. sæpe in Sacris litteris propter aliquos malos reprehendi omnes, ut ad Philipp. 2. v. 21. *omnes, quæ sua sunt, quarunt*; cum tamen in cit. capite 1. v. 16. dixerit Apostolus, quosdam ex charitate Christum annuntiare. Ad hæc nihil istorum dicitur in Concilium Sacerdotum, sed in Pastores & Prophetas separatim populum decipientes: ad concilium autem Sacerdotum mittuntur omnes Deut. 17. cit. Demum quidquid fit de Sacerdotibus Vet. Testamenti, certiores & majores promissiones habet Ecclesia Novi Testamenti, quam Synagoga; ut paulo ante dixit Cardinalis Bellarminus.

XIII. Ad 2. ex hoc exemplo nihil effici contra Concilia Generalia Christianorum tribus de causis. *Prima.* Quia vel Synagoga Judaica non fuit tam infallibilis, quam nunc est Ecclesia Christiana propter specialem assistentiam Spiritus Sancti, quam huic, non illi promissam legimus: vel præsentem Christo Synagoga Judaica infallibilis esse desijt, juxta duplicem sententiam supra relatam. *Secunda.* Quia hoc concilium Judæorum non fuit universale; sed tantum paucorum Sacerdotum, qui eo tempore Hierosolymis versabantur. Nam ut legimus 1. Paralip. c. 23. v. 3. & cap. 24. v. 18. tanta fuit multitudo Sacerdotum & Levitarum, ut tempore Davidis in 38000. excreverint, qui cum non possent simul omnes Hierosolymis habitare, nec sine confusione templo inservire, per varias urbes sparsi, & in 24. partes divisi fuerunt, ut per vices singulis hebdomadis una illarum partium Hierosolymam veniret, & DEI cultum perageret. Itaque exigua pars hujus tempore istius Concilij repente celebrati Hierosolymis præsens fuit. *Tertia.* Quia in eodem Judaico concilio nullus erat legitimus Pontifex. Nam secundum legem DEI Num. 18. v. 5. & 1. Paralip. 24. v. 31. Pontificatus debebat esse perpetuus & hereditarius in Familia Aaron, ut unusquisque ad finem vitæ eo munere fungeretur, tum Primaginitus Filius ei succederet. Romani autem rerum potiti hunc ordinem inverterunt, & mune-

ribus corrupti nativos Pontifices deposuerunt, & extraneos illis substituerunt, sicut factum est cum Anna & Caipha, qui proinde non erant legitimi Pontifices, nec legitimum Concilium, ut tradit Baronius in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos, & ex eo spontanus ibid. num. 5.

XIV. Ad 3. hoc equidem verissimum esse de Lupis, quales sunt hæretici: non verò de Pastoribus, Episcopis scil. in unitate Fidei Catholicæ persistentibus. Quàm inepta autem hæc est argumentatio: Sicuti in Veteri Testamento fuerunt pseudoprophetæ, ita in novo Testamento erunt hæretici, qui Magistri mendaces introducent Sectas perditionis, Ergo Concilia Generalia legitimum Pastorum possunt errare. Quod si Synodi etiam generales ejusmodi falsis Doctoribus confiterint, conciliabula potius fuerint reprobata, de quibus videri potest Bellarminus Lib. 1. de Conc. cap. 6.

XV. Ad 4. in cætibz humanis id aliquando ita contingere: non verò in concilio legitimo, ubi Spiritus Sanctus præsidet, & Christus est in medio eorum, qui nomine ipsius congregati sunt, & ubi illi adest, cui dictum est ab ipsa veritate: *rogavi pro te &c.* Nam est major pars resistat meliori (uti factum est in Concilio Ariminensi & Ephesino II.) tamen nunquam vincit; mox enim irritantur ejusmodi Conciliorum Acta ab eo, cui convenit ex officio *fratres confirmare*. Sed quærit Amefius, ubi nam resideat S. Spiritus, cum nec in majore parte Concilij semper, utpote quæ, ut recens dictum, potest resistere veritati: nec in ullo singulari membro Concilij ostendi possit? Respon. residere Spiritum Sanctum in eo, cui Christus illum promissit, scil. in Hærede D. Petri, eidemque hæredi ad hærentibus.

XVI. Ad 5. Concilia Generalia à Summo Pontifice approbata quoad Auctoritatem & cretitudinem atque infallibilitatem æquare Sacram Scripturam in decretis suis, quæ tanquam de fide credenda proponuntur. Quia Spiritus Sanctus æquè infallibilis est sive per Scriptores Canonicos, sive per assistentiam loquatur. Dissentit Card. Bellarminus L. 1. Concil. c. 12. asserens, Concilia nec habere, nec scribere immediatas revelationes aut Verba DEI, sed tantum declarare, quodnam sit Verbum DEI scriptum vel traditum, quomodo intelligi debeat, atque inde per ratiocinationem deducere conclusiones. Idem dicent omnes Theologi illi, qui putant, Ecclesiam hodie communiter non regi novis revelationibus. Equidem opinionem hanc cenfeo probabilem; oppositam tamen sententiam Arriagæ Tom. de Fide. Disp. 11. à. n. 30. semper prætuli, & hætenus supposui, scil. sufficientem esse DEI locutionem ipsam Pontificis ac Concilij declarationem cum Assistentia Spiritus Sancti factam, ut propter DEI Auctoritatem & loquelam credamus, adeoq; sic dari novas revelationes ac verba Dei. Ratio hujus est. Tum quia Gregorius M. primâ quatuor Concilia Generalia quatuor Evangelij comparat; quæ autem est comparatio, si ista sint revelationes, & verba DEI: illa non? Tum quia Gregorius XIII. Papa in Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino*, definit, & tanquam de fide tenendum proponit, Societatem JESU esse veram Religionem: & tria vota simplicia ad hoc sufficere. Ubi istud habetur in Sacra Scriptura, & quæ hujus verba declarantur per definitionem



tionem illam? Tum quia Spiritus Sanctus assistendo Concilij & Papæ in decretis fidei faciendis non videtur minus facere, quàm impellendo Scriptores Canonicos, ut res antea visas & auditas scribant. Si igitur ista Scriptura censeatur revelatio & Verbum DEI, cur non etiam illa definitio ac decretum? Effarum illud Theologorum: *Ecclēsiā hodiē communiter non regi novis revelationibus, intelligendum duntaxat de revelationibus novis circa substantiam præcipuorum ac fundamentaliū fidei articulorum, vel de revelationibus proprijs, ut communiter accipiuntur. Quando etiam Tridentinum Sess. 4. Scripturam & Traditiones posuit, in quibus veritas & disciplina contineatur, non istis alligat Concilia, ne quid distinctum doceant, sed ne contrarium. Videatur Ludovicus Alcazar in Comment. in Apocal. notat. 19. Cæterum varia adhuc intercedunt discrimina inter Scripturam & Concilia, ut clarè pater ex Doct. 3. §. 4. Imò ipsa etiam decreta Conciliorum non sunt de fide quoad verba, sed tantum quoad sensum; nisi fortè de ipso verbo sit decretum formatum, ut cum in Concilio Nicæno decreverunt, recipiendam vocem *ἐκκλησίαν*, & in Ephesino *ἐκκλησίαν*. Unde absolūtè & simpliciter non æquamus Concilia Sacræ Scripturæ: multò minùs huic illa præferimus.*

XVII. Ad 6. Si Patres in terminis non expriment, auctoritatem Conciliorum pendere à confirmatione Romani Pontificis, ut Amæsius T. 2. f. 28. occlamat, reipsa id clarè ostendunt, dum in Generalibus etiam Concilij approbationem à Summo Pontificè flagitant, nunquam illud facturum, si vel necessarium non fuisset, aut in Papa infallibilitatem non agnovissent. Quid etiam aliud volunt Patres, dum ad Romanam Cathedram perfidia negant accessum, ut loquitur Cyprian. Epist. 55 quàm affirmare, quod omnia Ecclesiæ decreta quoad certitudinem ab infallibilitate Romani Pontificis dependant? Ad Calvinum ex lib. 4. Inst. adductum dicimus, licet, per se loquendo, veritas posset consistere in particularibus Ecclesiæ membris, esto Pastores hallucinarentur, tamen supposita Christi ordinatione fieri id non posset. Nam si omnes Ecclesiæ oves ex præcepto Christi obedire Pastoribus teneantur, idque maxime in doctrina fidei, perspicuum est, quod, si Pastores omnes errarent, Ecclesia etiam illos audiens in errorem induceretur.

XVIII. Ad 7. & ultimum, specialia errata, quorum hæretici peculiariter quædam Concilia insimulant, commodius infra proponenda, & Concilia ab his vindicanda videri. S. Gregorius Nazianzenus fugere concilia cupiens loquitur de illegitimis; quippe incidat ejus ætas inter primum & secundum Concilium generale, quo tempore multa celebrata sunt concilia Seleucienſe, Tirenſe, Ariminense, Sirmienſe &c. quæ propter frequentiam Episcoporum Arianis faventium infelicem habuerunt exitum; propterea desperabat Nazianzenus, sicuti etiam D. Basilius, tunc posse congregari legitimum. Isidorus intelligi debet de Concilij expressè non confirmatis à Papa. Leo reprehendit decretum in Concilio Chalcedonensi absentibus Legatis Papæ factum; potest autem Concilium generale errare in eo, quod non sit legitime. Videri potest Bellarminus Lib. 2. de Concil. cap. 7.

XIX. *Error secundus.* Non est certum de fide divinà, hoc aut illud Concilium generale fuisse legitimum. Ita ex menſe aliorum Sectariorum Amæsius Tom. 2. fol. 33. ex quo infert, Conciliorum decreta firmam infallibilitatem, ac fidem divinam facere non posse. Hunc errorem jam rejicimus in ijs, quæ supra de Summo Pontifice & hujus infallibilitate diximus. Est quippe eadem ratio hujus numero Concilij, & hujus numero Papæ. Tota Ecclesia utpote *columna & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. cit. non potest errare in rebus ad communem totius Ecclesiæ Religionem pertinentibus. Sed judicium, quo Ecclesia acceptavit & Pium IV. Papam, & approbatum ab isto Concilio Tridentinum, pertinet ad communem totius Ecclesiæ Religionem. Ergo in hoc iudicio non potest errare: & consequenter de fide divina est certum, fuisse legitimum &c.

CONTROVERS. XXXV.

AN CONCILIA SINT SUPRA  
Pontificem.

Sermo est de Pontifice legitimo & indubitato. Nam si dubius sit propter vitium aliquod electionis, vel Schisma &c. censetur quasi non Papa, & Ecclesiæ iudicio subijcitur confirmandus vel exauthorandus, ut constat ex antiquæ Ecclesiæ praxi.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Concilium Generale, si Papam secludamus, non est supra Summum Pontificem. Ita Catholici Doctores. Et licet aliquando aliud senserint Cardinal. Cameracensis sive Petrus de Alliaco, Joannes Gerson, Major, Almainus, Cusanus, Panormitanus, Abulenſis & alij apud Bellarminum L. 2. de Concl. c. 14. Item, teste Tirino in indice Controversiarum de Concilij general. dissentiant multi DD. Sorbonistæ, rati Papam nihil aliud esse in Ecclesia, quàm quod Præpositus Generalis est in suo Ordine religioso, nempe Caput singulorum, sed Subditum omnium simul sumptorum; hæc tamen opinio à M. Dominico Bannez 22. q. 1. art. 10. Disp. 2. non solum falsa, sed etiam temeraria, scandalosa, & hæresi proxima censetur, nondum tamen eam aperte hæresos damnare vult, quod in nullo Concilio expressis verbis damnata reperiatur. Quidquid sit de hac censura respectu Catholicorum, qui alias Papam D. Petri Successorem, & Christi in terris Vicarium agnoscent, & tenent hanc opinionem, quia opposita veritas nondum illis sufficienter est persuasa. Probatur doctrina nostra 1. Caput est supra Corpus, & Pastor supra Oves, ut patet. Atqui Papa est Pastor & Caput Ecclesiæ. Ergo est supra Ecclesiam. Prob. Min. partim ex Sac. Scriptura, ubi Christus Petro dixit: *Pasce oves meas* Jo. an. 21. v. 17. partim ex Concilij Ephesini Le-



gato Pontificis aſſerenti, Pontificem eſſe Caput totius Fidei, non reclamavit, ſed approbans dixit: *juſtum eſſe judicium.* In Chalcedonenſi epiſt. ad Leonem Romanus Pontifex agnoſcitur pro Capite totius Concilij, & Petrus, cui ſucceſſit Papa, vocatur *Caput totius Corporis Eccleſie.* Et Concilium Florentinum, ubi Græci ſimul & Latini convennerant ita Sanxit: *deſignimus, ſ. Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primum: & ipſam Pontificem Romanum eſſe Succeſſorem B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſie Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à D. N. JESU Chriſtu plenum poteſtatem eſſe traditam, quemadmodum in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſſ. Canonibus continetur. Datum Florent. in publica Seſſione Synodi An. 1439.*

II. Probat 2. Papa non accipit ſuam poteſtatem à Concilio aut Eccleſia (uti Rex à Regno, Generalis à Religione) ſed immediatè ab ipſomet Chriſto, & quidem pro ſe ſolo, atque in ſua perſona reſidente; ſoli quippe Petro epiſt. que ſucceſſori (non autem Concilio, vel cuicunque Congregationi) dictum eſt *Mat. 16. v. 18. Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Tibi dabo claves &c.* Ergo cum Jus divinum non poſſit tolli, minui, limitari, vel immutari, ſive à Papa ſive ab alijs hominibus, Summus Pontifex omnimodè eſt ſupra Concilium Generale, & univerſam Eccleſiam. Huc facit, quod præclare in cit. textum S. Matthei notat Tertullianus de pudicitia cap. 21. his verbis: *Super te, inquit, ædificabo Eccleſiam meam, & dabo tibi claves, non Eccleſie: & quæcunque ſolveris vel alligaveris, non que ſolverint vel alligaverint. Sic enim & exitus docet. In ipſo Eccleſia extracta eſt; id eſt, per ipſum.* Et Tom. 3. in Scorpiaco c. 10. *Stadhuic clauſum putas celum, memento claves hujus Dominum Petro, & per eum Eccleſie reliquiſſe.*

III. Probat 3. Concilium generale ſi eſſet ſupra Pontificem, tunc poſſet judicare Pontificem. Atqui hoc non poteſt, ut agnovit Concilium Sinuellanum ante annos 1300. celebratum, cum enim Marcellinus Papa metu tormentorum idolis ihus adoleviſſet, poſtea poenitentia ductus Concilio 300. Episcoporum ſe ſtitit judicandum ac puniendum, ſed omnes unanimiter reclamârunt: *tuo Te ore, non noſtro judicio, judica; nam Prima Sedes à Nemine judicatur.* Similiter Summum Pontificem ſimpliciter & abſolutè eſſe ſupra Eccleſiam univerſam, & ſupra Concilium Generale, nullumque in terris Judicem ſuper ſe agnoſcere; expreſſis verbis fatentur Concilia Chalcedonenſe Act. 3. Romanum ſub Sylveſtro can. ult. Romanum V. ſub Symacho. Synodus VIII. Act. 7. Conſtanti-enſe in Bulla Martini V. Lateranenſe ſub Leone X. Seſſ. II. ubi contrario decreto Concilij Baſilienſis reprobo diſertè & ex profeſſo deſinitur, *Pontificem eſſe ſuper omnia Concilia;* quod decretum, inquit Tanner T. 3. D. 1. Q. 4. n. 312. ſi Catholici Doctores illi vidiffent, nunquam, ut opinor, oppoſitum docuiſſent. Accedunt Pontifices ſummi Leo M. Gelafius, Nicolaus, Gregorius M. Innocentius III. & alij, qui planis verbis idem affirmant. Quod ipſum faciunt Patres apud cit. Authorem Quæſt. cit. dub. 3. & 6. Molinæus in novo papat. fol. 327. ait, Concilium Romanum ſub Sylveſtro (in quo can. ult. dicitur: *Nemo etiam dijudicet Primam Sedem*) eſſe plenum defectibus & falſi-

tatibus, fatente hoc Baronio. Verba Baronij ad A. C. 324. N. 123 ſunt iſta: *cum vix ſit reperire verum, in quem mendum non irreperit.* Ecce duo mendacia Molinæi; Primum. Omittit particulam *vix*, eſt ne hoc Theologo dignum? ſi ſtepus vix effagit canem, non eſt ab hoc deprehenſus: *alterum.* Sumit mendum pro falſitate, cum tamen hoc ſit dolus, illud abſque fraude à ſcriba vel typographo fieri poſſit. Decetne hoc, non dico Theologum, ſed virum honeſtum?

IV. Probat 4. Is, ad quem appellatur ab altero, eſt ſuperior illo, ut conſtat ex ſtylo utriuſque fori. Sed à Concilij appellatur ad Summum Pontificem. Ergo Summus Pontifex eſt Superiori Concilij. Prob. Min. ex hiſtoria Eccleſiaſtica v. g. Athanaſius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus per ſententiam Conciliorum depoſiti ad Julium Summum Pontificem appellârunt, & ab eo in integrum reſtituti ſunt, non per modum interceſſionis, ut ſingunt Adverſarij, ſed per mandatum judiciale, ut conſtat ex epiſtolis Julij Papæ ad Episcopos Orientales datis, quibus eos citat ad tribunal ſuam. Unde & Sanctus Baſilius ad D. Athanaſium epiſt. 52. ſcribit, *videri ſibi bonum, ut rageur Romanus Episcopus, ut mittat aliquos in Græciam, qui ejus nomine irruent Concilia Ariminenſe &c.* Pari modo Flavianus Episcopus Conſtantinopolitanus appellavit ad Leonem Papam à Concilio Ephefino II. Generali, ut teſtatur ipſe Leo epiſt. 25. ad Theodoſium Auguſtum. Videri poteſt Bellarm. L. 2. c. 17. Eſt autem inſolens calumnia Molinæi, affirmare, omnia exemplaria Conciliorum Græca & Latina eſſe corrupta: item negare appellationem Flaviani ad Leonem Papam. Videatur etiâ Forer in Antiqua Papat. lib. 6. cap. 7. & 20.

V. Probat 5. Tum quia Pontifex eſt verum Caput Eccleſie, & in hac ſupremam habet poteſtatem. Atqui fieri non poteſt, ut ſint duæ ſupremæ poteſtates, aut duo Capita ejuſdem Communitatis vel Corporis. Tum quia ad bonum Eccleſie Regimen neceſſarium eſt, unum eſſe quoddam Caput totius Eccleſie à Concilij generalibus independens. Tum quia Pontifex jure divino eſt ſuperior omnibus membris Eccleſie &c. Patent hæc omnia ex ijs, quæ diximus in Controv. de Summo Pontifice.

VI. Doctrina 2. Summus Pontifex, etiam ſi vellet, non poſſet juridicè ſe ſubjicere Concilio generali, aut ulli homini. Ita ex communi Catholico-rum Bellarminus Lib. 2. cit. de Concil. c. 18. Probat. Tum quia poteſtas Papæ ſuper omnes eſt de jure divino, in quo diſpenſare ipſe non poteſt. Tum quia ſequeretur, Papam eſſe Superiorem, & non eſſe; Prius, quia ſuam cauſam committendo alterius judicio non deſineret eſſe Papa, & conſequenter nec Superior; Poſterius, quia ſi cogi poſſet, eſſet inferior, & jam non Papa & Superior. Dixi juridicè; etenim per judicium diſcretivum ſolum poteſt exemplo Symachi, Sixti III. Leonis III. & IV. atque aliorum, qui accuſatæ voluerunt cauſas ſuas in Concilij Episcoporum diſcuti, quos Episcopi judicare non fuerunt auſi; unde in Concilio IV. ſub Symacho omnes Episcopi, dum ſubſcribunt, affirmant, *ſe totum judicium Deo relinquere.* Africani etiam Primates A. C. 646. ſcribentes ad Pontificem Romanum hunc literis titulum præfigunt: *Domino Beatiffimo Theodoro Papa, & Summo omnium Præfulum Pontifici.*



## PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETI-  
CORUM.

VII. **E**rror primus. Concilium generale est supra Pontificem Romanum. Ita Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. part. 1. à fol. 796. Calvinistae apud Amesium Tom. 2. à fol. 40. (ubi crudum mox mendacium evomens asserit, omnes Parisienses Theologos hujus esse opinionis) & alij Sectarij, qui contra Papam semper unanimes omnem huic in Ecclesia supremam potestatem & auctoritatem negant, atque omnibus modis eundem Concilio generali subiectum esse contendunt. A quorum haeresi & pertinacia remotissimi quidem sunt Authores, quos contra priorem doctrinam nostram citavimus, non nihil tamen hi cum illis in probationibus opinionis suae adversus doctrinam nostram conveniunt. Probatio 1. Omnis peccans potest ab Ecclesia judicari juxta illud Matth. 18. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum &c. Si de non audierit, dic Ecclesia.* Sed Papa est frater peccans. Ergo potest ab Ecclesia judicari. Hanc probationem Amesius Tom. 2. fol. 56. valde extollit. 2. Papa est membrum Ecclesiae. Ergo minor est suo toto, quod est Ecclesia. Hanc probationem Gerhardus fol. 774. putat esse convincentem. 3. Mater est supra filium. Ecclesia est Mater: & Papa ejus Filius: Ergo &c. Min. patet. Major sumitur ex decalogo: *honor a patrem tuum, & matrem tuam &c.* 4. Concilia Basileense Sess. 2. & Constantiense Sess. 4. definiunt, Concilia esse supra Pontificem. Ergo &c.

VIII. Errorem hunc condemnant omnia Sacrae Scripturae & Patrum Testimonia, quae pro suprema Papae potestate ejusque infallibilitate supra attulimus. Quomodo enim supremus est auctoritate & potestate, qui infra Concilium generale est? Quomodo est infallibilis in sententijs suis, si de istis dubitari, & ad altius Tribunal appellari possit, ut de veritate planè constet? Quomodo ille, qui tenet Sedem Romae est Caput & Princeps omnium Patriarcharum (ut antiqui Patres de Romano Pontifice loquuntur) si subiacet Concilio generali omnium Episcoporum; Quomodo nominatim hoc D. Augustini Epist. 162. verum est effatum: *In Romana Ecclesia semper Apostolica cathedra viguit Principatus.* Si in eadem Rom. Ecclesia semper Cathedra Apostolica Concilio generali extitit inferior? Quare tametsi opinio haec, quod Concilium generale sit supra Pontificem, ab Authoribus Bellarmino Lib. 2. de Concil. c. 17. Tannero Tom. 3. D. 1. Q. 4. n. 314. & alijs non censetur tanquam aperta haeresis; hanc tamen censuram omnino meretur, prout à Sectarijs asseritur, quasi Papa defectu supremæ potestatis & infallibilitatis Concilio generali subesseret. Argumenta in oppositum allata nullius sunt roboris.

IX. Respon. ad 1. in oppositum cum Tirino in cit. locum. nomine Ecclesiae non intelligi hic cœtum Fidelium, quidquid putaverit Hieronymus, sed Ecclesiae Pastorem & Prælatum ejus Ecclesiae seu Congregationis, cujus ipse est membrum, & quam ille repræsentat, sicuti Rex regnum. Ita S. Chrysostomus Theophylact. & alij. Tum quia Christus jubet audire Ecclesiam, hoc est,

Ecclesiae obedire, alioquin hocipso habendum pro excommunicato; hæc autem obedientia Prælati tantum defertur, ut per se patet: & hæc ratio persuasit ipsi Calvino interpretationem istam. Tum quia Christus Ecclesiam explicans subdit: *quicumque alligaveritis, vos scilicet. Apostoli Ecclesiae Principes, vestri quoniam Successores.* Tum quia id docet perpetua praxis. Tum denique quia contrarium facere esset contra jus naturæ & gravis injuria in proximum, si crimen ejus foret occultum. Videri potest cit. Author.

X. Instant Adversarij. Ergo si Prælati, ipse scilicet Papa peccet, debet quoque deferri ad Ecclesiam, hoc est, Concilium generale. Ergo huic subiectus est. Negamus illatum; siquidem pertinet illud solummodo ad alios Prælatos præter Papam, qui nullum habet superiorem, quod patet ex perpetua praxi Ecclesiae. Urgent ista verba (dic Ecclesiae) fuerunt dicta Petro. Dicimus, Christum indefinite locutum, sicuti etiam ab initio capitulis usque ad vers. 21. Petrus quoque eo tempore, quo iustus est ire ad Ecclesiam, adhuc fuit privatus; etenim post resurrectionem primum Pontifex creatus est Joan. 21. v. 26. Nec refert, quod sequentes Pontifices id mandatum Christi etiam ad se pertinere censuerint; quippe voluerunt uti subsidio Ecclesiae non tanquam altiore potestate præditæ, sed tanquam majori humanâ auctoritate pollentis propter multitudinem tot Episcoporum, ut pertinaces animi vel sic flecterentur.

XI. Ad 2. Si accipiatur Ecclesia sine Papa, tum Ecclesia non est totum, sed pars; major quidem magnitudine molis, minor tamen magnitudine virtutis, sive auctoritatis; si vero accipiatur Ecclesia cum Papa, tum major est auctoritas Ecclesiae extensive, non tamen intensive, perinde ut ens DEUM & creaturas comprehendens non est majus bonum, quam solus DEUS intensive, etiam si extensive sit majus, quia scilicet sunt plura bona. Eadem est ratio inter Christum & Ecclesiam.

XII. Instant Adversarij. Membrum putandum debet amputari, si inficiat totum. Ergo & Papa, si inficiat Ecclesiam. Dicimus cum Bellarmino Lib. 2. cit. c. 19. in corpore naturali & rebus publicis temporalibus posse hoc fieri, quia membra pendunt à toto. Sed alia est ratio Corporis Ecclesiae, cujus Caput non à Corpore, sed à DEO auctoritatem accipit; perinde fere, ut familiae non licet deponere Oeconomum quantumvis pessimum, quia non à familia, sed à Domino est institutus. Inferunt. Ergo Ecclesia manebit sine remedio, si Papa impune vexare & perdere possit, nemine resistente. Dicimus cum cit. Authore, non mirum, si maneat sine remedio humano efficaci; quia non nititur ejus salus præcipue humanâ industria, sed divinâ protectione. Etiam si igitur Ecclesia non possit deponere Pontificem, attamen potest ac debet DEO supplicare, ut ipse remedium adhibeat; & indubitatum est, DEO fore curæ ejus salutem, adeoque Pontificem talem vel gratiâ suâ efficaci conversurum, vel prius eundem è medio sublaturum, quam Ecclesiam destruat. Quod si Papa potestate suâ abusus vim adhibere, & Ecclesiam destrui cupiat, armis quoque eidem repugnandum; quippe ad resistendum, & vim repellendam nulla requiritur auctoritas.


XIII. Ad 3. Papam esse Filium Ecclesiae, quatenus privatam personam; non verò quatenus Pontifi-



Pontificem summum; sic enim est Pater Ecclesiae, ut ipsum nomen Papae indicat. Et nihil proflus est novi, unam & eandem personam diverso respectu diversas habere formalitates ac denominationes Patris ac Filij. Superioris ac subditi. Praeceptoris ac Discipuli. Vendentris ac Ementis. Debitoris ac Creditoris &c.

XIV. Ad 4. Concilium Basileense quoad hoc non esse ullius auctoritatis, licet ante apertum Schisma fuerit pro legitimo habitum. Nam a tempore, quo Eugenium IV. deponere, & Felicem substituere moliebatur, in Schismaticum degeneravit conciliabulum, ut vocatur a Concilio Lateranensi ultimo Sess. II. Videri potest Bellarminus in sine lib. 2. ubi etiam expresse mandacium esse ait, quod praedictum concilium cum Actibus suis a Nicolao V. fuerit approbatum; cum iste non nisi quaedam circa beneficia & censuras confirmaverit. Constantiense vero approbatum quidem est a Martino V. sed solum quoad decreta conciliariter ab eo constituta, ut post Cajetanum, Valentiam, Tannerum & alios notat Duvalius Doctor Sorbonicus Part. 3. pag. 444. Per particulam autem conciliariter intelliguntur, quae vel cum praevio examine: vel post schisma solum & electionem Martini V. a Patribus fuerunt decreta; neutro autem horum modo facta est definitio, quod Concilium sit supra Papam, ut ex actis liquidum constat. Caeterum quomodo Papa potestatem suam amittere, & deponi possit, diximus in Controvers. de Pontif.

XV. *Error secundus.* Papa potest se submittere vel Concilij generalis vel alterius hominis iudicio & potestati. Ita Amesius Tom. 2. fol. 41. idque probat inde, quod Summus Pontifex submittere se possit Clavium potestati in Sacramento Confessionis, ut solvantur vel ligentur ejus peccata. Mirum sane est, si Puritanus iste fuit tam imperitus, ut nesciret discrimen inter forum politicum & forum Poli, sive externum & internum; posterius tribunal non quidem habet reos, nisi voluntarios, tamen etiam Papa lethalis noxae sibi conscius potest DEO reconcillari, scilicet se tanquam personam privatam subijciendo Sacerdoti; quantumvis in priori non absolvatur, tanquam a Superiore. An Papa, & quomodo teneatur legibus Ecclesiasticis v. g. annuae Confessionis, Horarum Canonicarum, jejuniis &c. videri potest Diana Part. 6. Tr. 7. Ref. 3. Quod autem addat Amesius Papam esse hoc modo exlegem, & fieri vix posse, quin sit omnium hominum maxime peccatis coöpertus, calumnia est hominis effrontis, & ad criminandum venditi, a quo vituperari, laudari est. Sed iste est modus Praedicantium, falsis & horrendis persuasionibus contra Romanum Pontificem Christique in terris Vicarium animos Aseclorum suorum implendi, & ita istos veluti laqueis astrictos in perversa Secta sua retinendi, ne ab errore suo respiscant, & ad communem recte credentium Patrem reverti velint.



CONTROVERS. XXXVI.

QUOT HAECENUS CONCILIA generalia sint celebrata?

**U**bet haecenus disti: attexere brevissimum catalogum Conciliorum Generalium in Ecclesia Catholica ad hoc usque tempus celebratorum; quibus subiungemus nonnihil de Concilijs particularibus, act de ijs, quae ab Ecclesia reprobata fuerunt; cum notitia horum controversijs rite intelligendis & pertractandis multum utilitatis afferat.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Ab Apostolis quinque Concilia fuerunt celebrata; de quatuor constat ex actibus Apostolorum: quinti meminerunt nonnulli Patres. *Primum* celebratum fuit Jerosolymis anno Christi 34. ubi loco Judae Mathias Apostolus fuit successus Act. 1. *Secundum* eodem tempore & loco, ubi septem Diaconi fuerunt electi pro cura pauperum habenda. *Tertium* ibidem anno Christi 51. ubi definitum, Christianos non amplius obligari lege Mosaeica Act. 15. Sed cum interfuerint Paulus & Barnabas, & una cum alijs Apostolis & Senioribus statuerint, ut Fideles essent quidem immunes a iugo circumcisionis, & Mosaeicarum caeremoniarum: abstinerent tamen ab immolatis Simulacrorum & Sanguine & suffocato, & fornicatione. Cur deinde Paulus 1. Corinth. 8. non absolute esum idolothytorum prohibuit? Resp. cum Tirino & alijs post Baronium A. C. 51. Quia praecipuum istud non erat perpetuum, sed solum pro tempore: neque extendebat se ad omnes Christianos, sed ad solos Antiochenos, & eorum vicinos, ut patet ex v. 23. idque causa concordiae Judaeorum cum Gentilibus, quae Corinthij ex hoc capite non periclitabatur. *Quartum* ibidem anno Christi 58. ubi Judaeis conversis aliquandiu permittae legales caeremoniae. *Quintum* in Judaea, nescio quo loco celebratum fuisse anno Christi 44. tradunt aliqui Patres ante divisionem Apostolorum in totum orbem, ubi Symbolum Apostolorum fuerit compositum, & lati Canones Apostolici a Clemente Romano commendati.

II. Circa hoc ultimum Apostolorum Concilium gravis lis est de numero Canonum Apostolorum. Graeci numerant 85. quibus adhæret Bartholomaeus Carranza in Summa Conciliorum, & dicit, omnes approbatos in VI. generali Synodo can. 2. Alij vero tantum 60. recipiunt, ut Gratianus Dist. 16. nixus Auctoritate Zepherini Papae. Hodie communiter tantum 50. recipiuntur, quibus assentitur Bellarminus de Scripioribus Eccles. V. Clemens Roman. quia in posterioribus Canonibus manifesti errores continentur, qui non decent Auctoritatem Apostolicam v. g. can. 67. baptizati ab haereticis jubentur rebaptizari. Can. 85. numerus librorum Canonicorum depravatur exclu-

gha  
ar  
ologia  
mica  
XI



excludendo authenticos, & spurios admittendo. Nec curandus est Canon. VI. Synodi admittens 85. canones Apostolorum, quia non est desumptus ex legitima Synodo, sed ex spurio consiliabolo Trullano, cujus nulla est autoritas. In verba Zepherini 60. Canones Apostolicos approbantis vel scriptorum vitio error irrepit, ponendo 60. pro 50. ut suspicatur Bellarminus loc. cit. vel ratione Canonum non intellexit integros canones, sed diversa illorum decreta, ut alij arbitrantur. De reliquo, quando Tertullianus in lib. advers. Praxeam scribit: *Canones Apostolorum esse nobis per manus traditos.* Et Damascenus lib. 4. de Fid. Orthod. c. 18. videtur eos ponere inter *Sacras Scripturas*: At contra Gelasius Papa in Concilio Romano (unde extat capit: Sancta Romana dist. 15.) librum Canonum Apostolorum pronunciat apocryphum; putandi sunt illi Patres attendisse ad canones legitimos: iste vero Pontifex ad illegitimos, atque sic reconciliari possunt, ut etiam advertit Bellarminus loc. cit.

III. *Doctrina secunda.* Post tempora Apostolorum hucusque octodecim legitima & generalia Concilia fuerunt celebrata. Ita Catholici DD. ex tomis Conciliorum; unde eadem breviter, ordineque recensibimus.

*Primum est Nicaenum* à Nicæa urbe dictum & anno Christi 325. sub Sylvestro Papa & Imperatore Constantino M. celebratum, in quo conveniunt præclarissima mundi lumina, Spirantes Sanctorum reliquæ in attritis corporibus Diocletiani victores, in quibus Nicolaus, Spiridion, alijque ad 318. Episcopi, qui Ario presbytero Alexandrino ad palinodiam adacti, ejusque hæresin (*quæ Filium DEI negabat esse Patri coequalem, consubstantialem & coeternum: atque eundem à Patre de nihilo in tempore creatum asserbat*) contra SS. Trinitatem damnantes Fidei formam sanctissimam Nicaenum Symbolum conscripserunt.

*Secundum est Constantinopolitanum* sub Romano Pontifice Damaso, & Imperatore Theodosio anno Christi 381. celebratum ob tres potissimum causas 1. ut Nicæna Synodus multis jactata procellis, & à pseudosynodis reprobata de novo contra Arianos stabiliretur. 2. ut Macedonij hæresis *negans Spiritus Sancti divinitatem* rejiceretur. 3. ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ Præsul orthodoxus præficeretur, quam Ariani Episcopi labefactaverant. Vocatur hoc Concilium Constantinopolitanum I. & 150. Episcopi in eo fuerunt.

*Tertium est Ephesinum* ab Ephesi minoris Asiæ Metropoli dictum, & sub Cælestino Romano Episcopo atque Imperatoribus Theodosio II. & Valentiniano III. Imperatoribus An. Christi 431. celebratum; in quo 208. Episcopi damnarunt Nestorium, qui neva & perniciosâ hæresi *negavit Beatis. V. Mariam esse deorum, hoc est, Deiparam; solumque illi Christipara nomen permittebat.* Geminas quippe Christo personas affingebat Divinam ac Humanam, consequenter asserens, MARIAM Virginem genuisse Personam humanam à divina profus discretam. Factâ Nestorianæ hæreseos condemnatione, & solenni per decretum synodicum B. V. MARIÆ defensione, quod verè sit *deorum*, hoc est, DEIPARA magno id gaudio percepit Ecclesia & Angelicæ Salutationi verba illa *Mater DEI ora &c.* inseruit.

*Quartum est Chalcedonense* dictum ab urbe Chalcedone, quæ est Provinciæ Bithyniæ Bosphoro è

regione Constantinopolis adjacens. Fuit hoc Concilium unum ex quatuor celeberrimis habitum anno Christi 451. præsentibus 630. Patribus sub Leone I. Papa & Imperatore Martiano contra Eutychen Abbatem Constantinopolitanum & ejus fauctorem Dioscorum *statuentes unicam in Christo naturam & voluntatem*: item ad delendam Ephesine Synodi infamiam &c. de quo videri potest Joannes Cabasutius in notitia Conciliorum à fol. 221.

*Quantum est Constantinopolitanum II.* sub Vigilio Papa & Imperatore Justiniano anno Christi 552. celebratum, in quo damnatus fuit Petrus Cnaphæus Episcopus Antiochenus, qui hæresi partim Macedonianâ, partim Nestorianâ infectus totam Trinitatem crucifixam dicebat, vocèsque trifragio addebat: *qui passus es pro nobis.* Præter alia in hoc Concilio actum fuit de scriptis Origines, quorum historiam totam receniet Cabasutius à fol. 295.

*Sextum est Constantinopolitanum III.* sub Agathone Papa & Imperatore Constantino celebratum in Secretario palatii, quod Trullum vocabant, anno Christi 680. celebratum, in quo Patres *statuerunt in Christo uti duas Naturas, ita duas Voluntas & Operationes* contra Sergium, Paulum, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, & Theodorum omnes Archi-Episcopos Constantinopolitanos qui Monothelitarum hæresin spargentes graves toto Oriente tumultus ciebant. Atque hoc Concilium communiter appellatur Sexta Synodus Oecumenica.

*Septimum est Nicaenum II.* sub Adriano I. anno Christi 781. celebratum imperantibus Constantino & Irene ejus Matre post Leonem Copronymum & Leonem Hauricum, qui duo Imperatores Patres scilicet & Avus Constantinii atrocissimum bellum exciverunt *in Superos, illorum imagines pictas & scissas veneratione omni interdicentes.* In hoc gigitur Concilio contra Iconoclastarum hæresin consentientibus 350. Episcopis culus sacrarum Imaginum, quem illi negabant, fuit restauratus.

*Octavum est Constantinopolitanum IV.* sub Adriano II. Papa & Basilio Imperatore anno Christi 781. celebratum, in quo Photius in vasor Patriarchatus Constantinopolitani restituito Ignatio fuit damnatus, & Iconomachorum Zizania stirpius sunt evulsa ab Episcopis præsentibus 102.

*Nonum est Lateranense I.* Romæ in Palatio Lateranensi Anno Christi 1122. sub Callisto III. Papa & Henrico IV. Imperatore celebratum, in quo ab Episcopis 300. convenientibus actum de restitutione pristinae disciplinæ, ac de conciliandis Principibus Christianis & bello contra Sacraeos gerendo pro recuperandâ Terra Sancta. Sed acta ejus non extant; Gratianus tamen aliquot canones circa restituendam pristinam disciplinam in suum Decretum transtulit.

*Decimum est Lateranense II.* anno Christi 1139. sub Innocentio II. Papa, & Conrado Rege Rom. celebratum; in qua celeberrima Synodo à Patribus mille frequentata post multa salutifera decreta promulgata actum fuit contra Petrum Leonis seu Anacletum Pseudopontificem, cujus acta rescissa sunt, & Schisma sopitum; Acta tamen ejus non extant.

*Undecimum est Lateranense III.* sub Alexandro III. Papa anno Christi 1180. celebratum, in quo 300. Episcopi multa de electione Papæ statuerunt, & anathemate percusserunt Catharos & Patarenos hæreticos, qui in Vascovia, Albegcio, & Tolosatum partibus invaluerant,



*Duodecimum est Lateranense IV.* sub Innocentio III. anno Christi 1215. celebratum, in quo Patres 412. Joachimum Abbatem de Curia & alios hæreticos damnarunt, sacrae Fidei, Ordini, & Disciplinæ Ecclesiasticæ exactè multis capitulis providerunt, ac demum subjecerunt decretum pro Sacra in Palæstinam profectioe, de pace inter Christianos componenda, & subsidijs ad istud bellum comparandis.

*Decimum tertium est Lugdunense* ab urbe Lugduno in Gallia anno Christi 1245. sub Innocentio IV. celebratum, in quo Fridericus II. seu Barbarossa rebellis Papæ anathemate percussus & ab imperio depositus est. Expeditio quoque in Palæstinam decreta, illius Duce Ludovico Gallia Reg. constituta. In hac Synodo ferunt Cardinalibus Pileum rubrum fuisse concessum.

*Decimum quartum est Lugdunense II.* anno Christi 1274. sub Gregorio X. celebratum, in quo præsentibus quingentis Patribus damnata fuit hæresis Græcorum de processione spiritus sancti à solo Patre. & præcipiente Pontifice à Cardinalibus reliquisque Latinis Patribus fuit recantatum Symbolum Nicænum cum solita additione: *qui à Patre Filioque procedit*; quod ipsum deinde à Græcis Patribus fuit in ipsorum lingua factum. Simul actum de Palæstina recuperanda.

*Decimum quintum est Viennense* ab urbe Vienna in Gallia dictum & anno Christi 1311. sub Clemente V. celebratum, in quo præsentibus duobus Patriarchis Orientalibus, Episcopis 33. ac Regibus Franco, Anglo, & Aragonia actum est de expeditione contra Saracenos invasores terræ Sanctæ: damnata hæreses B. guardorum & Beguinarum: simulque Fraticellorum seu Dulcinistarum Secta: & extinctus est Ordo Templariorum Hierosolymis juxta templum habitantium, quos multorum criminum reos partim ignis absumpsit, partim texit exilium; eorum bona vel Franciæ Regi concessa, vel alijs sacris Magistratibus adjudicata, vel Equitibus S. Joannis transcripta fuerunt.

*Decimum sextum est Florentinum* Florentiæ in Italia sub Eugenio IV. Papa anno Christi 1438. celebratum ac finitum (cum Ferraria cepisset) anno sequenti nonis Julij, in quo præsentibus ex Oriente Imperatore Joanne, & pluribus Patriarchis magna Orbis celebritate unio Græcorum & Armenorum cum Latinis fuit contracta, atque ab omnibus proclamatum, *Spiritum Sanctum à Patre Filioque ut ab uno principio æternaliter procedere unicum utriusque spiratione.* Verum post Patrum in Græciam reditum Natio illa tum ingentia sibi præsumptione, tum diurnæ dissensionis consuetudine, tum veteri Latini nominis odio stimolata in pristino maluit Schismate persistere.

*Decimum septimum est Lateranense V.* anno Christi 1517. à Julio 2. inceptum & à Leone X. perfectum, in quo actum, ut occurreretur Schismati, quod Pisanum Concilium invexerat, providereturque Christiani orbis statui tum temporis turbulentissimo. Decretam in eo expeditionem contra Turcas excitatæ à Luthero hæreses impediverunt.

*Decimum octavum & ultimum est Tridentinum* Tridenti in Germania ceptum anno Christi 1545. sub Paulo III. & continuatum sub Julio III. Marcello II. & Paulo IV. finitum denique anno Christi 1563. sub Pio IV. Pontifice. Decurrerant itaque ab ipsius exordio donec finitum est anni duodevi-

ginti. Hujus indicendæ Synodi præcipuæ causæ fuerunt ingruentes tum Lutheranorum, tum Sacramentariorum hæreses, & morum in Clero pravitatis, disciplinæque sacrae omnimoda relaxatio. Quibus exitialibus malis, ut remedium efficax adhiberetur, sacra Synodus quantà desiderari poterat curâ & sollicitudine providit multiplicibus & sapientissimis decretis, adeo ut plus quàm reliqua, quæ antecesserant, concilia dici merito possit Tridentinum copiosissima penus, ac promptuarium liberum, & ditissimum thesaurus totius Ecclesiæ, tum ad Fidei circa omnes fere articulos elucidationem, tum ad Morum culturam, tum ad Sacrae Disciplinæ plenam instaurationem. Videri potest Severinus Binius in notis ad unumquodque Concilium in Tomis 4. Et Franciscus Turrianus in Apologia pro VI. & VII. Synodo Generali.

IV. Duo alia Concilia in Germania celebrata sunt; unum Constantiæ anno Christi 1414. alterum Basileæ anno Christi 1438. de quibus diximus in fine prioris controversiæ §. XIV. Solum addimus; prius Sigismundi Imperatoris accuratissimâ sollicitudine habitum esse, in eoque ad opprimendum Schismatis virus creatum esse Papam Martinum V. aliisque depositos; & Joannem Hufi ac Hieronymum Pragensem, quod Joannis Wicleffi Angli hæresin spargerent, vivos concrematis fuisse: posterius à pijs primordijs in prava consilia degenerans non tantum in Pontificem Eugenium insurrexisset, sed etiam Amadæum ex Duce Sabaudia Antipapam dixisset, & Felicem V. nuncupasse, qui tamen postea tam F. heem, quàm Amadæum posuit, & renunciato fastigio in privata piæque vita obiit miraculorum gloriâ, ut ajuunt, post mortem illustris.

V. *Doctrina tertia.* Præter Concilia generalia etiam quædam particularia ex majore parte ab Ecclesia probata sunt. Inter quæ *Primum est Casariense* alias Palæstinum anno Christi 189. jussu Victoris Papæ convocatum contra Quartodecimanos, in quo omnium Episcoporum consensu ex antiqua Apostolorum traditione statutum est, Pascha celebrandum esse tantummodo die Dominico. *Secundum est Laodicenum* anno Christi 320. Laodicæ in Phrygia celebratum pro morum reformatione paulò ante Concilium Nicænum 1. generale, estque Græcorum ac Latinorum scriptis commendatum, ut ait Spondan. An. Christi 314. *Tertium est Sardicense* anno Christi 347. celebratum sub Julio I. Papa, in quo 300. Episcopi Occidentales Fidem Catholicam confirmarunt, quam Sanctus Hilarius Lib. de Synodis exprimit. Sed reliqui 76. Orientales Episcopi statim discedentes & seorsim convenientes dogmata Arij stabilierunt. Et de his posterioribus loquitur S. Augustinus Lib. 3. contra Cresconium cap. 34. cum ait. *Sardicense Concilium fuisse Arianorum.* Præfens fuit in hoc Concilio Sardicensi Osius, qui & Nicæno affuit. *Quartum est Sirmienense* celebratum anno Christi 356. juxta Baronium (alij cum Petavio prius fuisse volunt) in quo etiam duæ Fidei formulæ dissentientes sunt editæ, quorum Græcam (in qua Photini hæresis damnatur) ut Catholicam probat Hilarius: Latinam verò ut Ario faventem rejicit ac refellit, cui tamen simulque Athanasij condemnationi Liberius Papa (qui tunc Sirmij pro fide catholica exulabat) infeliciter subscripsit, postea tamen respiscens. Videri potest Cabassutio fol. 123. Et



Controvers. nostra XXVIII. §. XLIV. *Quintum est Gangrense* ab urbe Gangra in Paphlagonia dictum & sub Constantino M. Imperatore celebratum, in quo damnatus fuit Eustachius, qui nuptias, esum carniū &c. execrans varia deliria propagavit suadens mulieribus virorum indumenta, & capillorum detonsionem &c; quo autem tempore hæc Synodus fuerit celebrata, non satis liquet, ut fatetur Baronius ad an. Christi 319. Carranza ponit an. Christi 324. *Sextum est Carthagenſe III. & IV.* quæ fuerunt approbata à Leone IV. Papa, & à S. Augustino (qui utriusque interfuit) confirmata. *Septimum est Milevitanum* ab urbe Milevi Numidiæ dictum, & sub Innocentio I. Papa celebratum, atque ab eodem pro Africa approbatum. *Octavum est Milevitanum II.* ibidem contra Pelagianos. *Nonum est Arausicanum I.* ab Aratio urbe Narbonensis Provinciæ dictum & Anno Christi 441. sub Leone I. Papa celebratum & ab eodem approbatum. *Decimum est Arausicanum II.* anno Christi 529. sub Felice Papa IV. celebratum, cui præfedit Cæsarius Episcopus Arelatenſis contra Pelagianos & Semipelagianos. Et licet Pates hujus Concilij nullos novos canones condiderint, at tamen submissis à Sede Apostolica capitulis subscripserunt, ut patet ex illius Concilij principio. Tom. 1. Conciliorum. *Undecimum est Vasatense seu Vasense* in Aquitania anno Christi 442. sup Leone I. Papa celebratum. *Duodecimum est Vasatense II.* ab oppido Vafione dictum, cui itidem præfedit, qui Arausicano II. Cæsarius. *Decimum tertium est Cabilonense* ab urbe Cabilo Provinciæ Lugdunensis ad Ararim fluvium sita tempore Caroli M. celebratum, & communi Ecclesiæ usu receptum, ut ait Azor P. 2. lib. 5. c. 15. *Decimum quartum est Trullanum*, in quo canones 102. conscripti & adjecti sunt V. & VI. Synodis generalibus, quæ nullos alioquin canones condiderant; unde etiam Synodus ista *Penebdele*, hoc est, *quini-sexta* vocatur, quasi supplementum quintæ & sextæ. Verum canones istos à Schismaticis profectos rejecit statim Sergius Papa, ut testatur Beda Lib. de sex ætatibus. Aliqui tamen horum canonum, quia favebant Catholico dogmati (v. g. pingendis honorandisque Christi & Sanctorum Imaginibus) recepti sunt ab Adriano Papa & VII. Synodo generali. Plura de hac Synodo Quini-sexta Cabassutio à fol. 341. *Decimum quintum est Wormatiense I.* sub Stephano IV. Papa & Leone IV. Imperatore. *Decimum sextum est Wormatiense II.* sub Adriano II. Papa, & Imperatore Ludovico II. anno Christi 868. *Decimum septimum est Senonense unum*, in quo Petrus Abailardus à S. Bernardo convictus est hæresos: Et alterum contra hæreses hujus sæculi ac pro morum reformatione sub Clemente VII. congregatum. Omitto plura, quæ videri possunt in Summa Concil. Carranzæ, & in notitia Conciliorum Cabassutij, ubi etiam eorum canones referuntur.

VI. *Doctrina quarta.* Ex allatis Concilij aliqua sunt partim confirmata, partim reprobata, nempe Concilium Constantiense, Basileense, Sardicense, Syrmienſe, Quini-Sextum; quibus addi potest Concilium Francofordense ad Mœnum anno Christi 794. sub Adriano I. Carolo M. celebratū, & approbatū, quatenus damnabat hæresin Elipandi Tolerani Episcopi, & Felicis Episcopi Urgelitani qui *Jesus Christum hominem Filium esse DEI naturalem negabant, & asseriebant tantummodo esse adoptivum, DEI que esse servum*: Quatenus autem damnat Septi-

mam Synodum de cultu Imaginum, caret omni auctoritate. Verum infra dicemus, hoc immerito Concilio Francofordensi adscribi. Año prioris sæculi 1549. prodijt liber abſq; ulla loci aut Typographi nomine eidem Carolo M. adscriptus & ab illo ad eundem Adrianum Pontificem directus contra Imaginum venetationem, ut nomine & auctoritate hujus Papæ censeretur & refelleretur, quod & factum; extat quippe liber Adriani Papæ ad Carolum M. quo prior ille liber imagines sacras oppugnans (à quocunque sacrae fidei hoste sit compositus) accuratè refellitur. Videatur Nicolaus Schaten in lib. cuius titulus: Carolus M. Lib. 2. c. 12. & L. 4. c. 6.

VII. Concilium nec approbatum nec reprobatum videtur fuisse Pisanum, quod año Christi 1409. deposuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Alexandrum V. Nam ex una parte S. Antoninus 3. Part. Tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3. Summæ historialis asserit, non verum Ecclesiæ concilium, sed conciliabulum illegitimum fuisse, quod sane eventus ostendisse videtur; siquidem coactum fuit concilium ad schisma tollendum, quod tamen non solum non fustulit, sed auxit. Ex altera verò parte si concilium hoc Pisanum non fuisset verum & legitimum; Alexander VI. non se sextum, sed quintum dixisset. Adhæc ex communi opinione Alexander V. & qui huic successit, Joannes fuerunt veri Pontifices; & certè ex tribus, qui tum pro Pontificibus se jactabant, isti maximè, ut veri Pontifices, colebantur. Unde Azor Pisani Concilij jura valde tuetur Part. 2. Lib. 5. cap. 17. qui videri potest.

VIII. *Doctrina quinta.* Aliqua Concilia sunt profus reprobata, quæ idcirco conciliabula communiter dicuntur. *Primum* ex his est Antiochenum Anno 341. Julio I. Papa & Constantio Imperatore, in quo damnatus est Athanasius & via aperta ad everſionem Concilij primi Nicæni. Præter hoc autem conciliabulum alia in eadem civitate habitata sunt concilia, quibus suus stat valor. *Secundum est Mediolanense* anno 364. tempore ejusdem Constantij Imperatoris à pluſquam 300. Episcopis celebratum, in quo generali conciliabulo fuit obliquè etiam damnata Fides Catholica, ut referunt Ruffinus Lib. 10. c. 20. & Socrates Lib. 2. cap. 29. *Tertium est Ariminense* anno 359. celebratum, in quo sublatum fuit Symbolum Nicænum; quia propositæ novæ Fidei formulæ (quæ omiſſa voce *in consensu* & *in consensu* eundem tamen errorem continebant obſconditum) omnes fere Patres tædio tantæ moræ affecti, desiderio pacistracti, vi metique compulsi subscripserunt; mox tamen agnito dolo *ingemuit*, ut ait Hieronymus advers. Luciferian. orbis, & *Arianum se esse miratus est*. Prius autem quam hæc deceptio heret, præcessit alia Ariminensis Synodus, in qua à 400. Episcopis stabilita fuit Nicæna Synodus & Confessio, ut proinde prior hæc legitima Synodus diligenter distinguenda sit ab illo posteriore conciliabulo, cui statim omnes Patres revocato suffragio reclamârunt, illudque à Liberio Romano Pontifice fuit rejectum, uti videre est apud Baronium & hujus compendiatorem Spondanum ad annum Christi 359. num. 11. & 12. *Quartum est Ephesinum II.* tempore Theodosij anno Christi 449. celebratum, in quo per factionem Dioscori occisus fuit Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis Leonis I. fugati, ac demum hæresis Eurychiana confir-



confirmata. Hanc Synodum reprobavit Leo M. epist. ad Clerum & Populum Constantinopolitanum. Item ad Theodosium: Item ad Pulcheriam quæ sunt 22. 23. 24. Videri potest Cabassutio in Notit. Concil. a fol. 231. *Quintum est Constantinopolitanum* sub Leone Isauro Imperatore contra sacras imagines anno Christi 730. qui fuit tertius decimus imperij ejusdem. Reprobavit istud conciliabulum Gregorius Papa II. in Romana Synodo, de qua Spondanus an. Christi 726. n. 6. juxta chronologiam Cardinalis Baronij. *Sextum est Constantinopolitanum* sub Constantino Copronymo anno Christi 755. in quo iterum contra Sacras imagines fuit pronuntiatum a 333. Episcopis, inter quos tamen nullus fuit Patriarcha, excepto Pseudoepiscopo Constantinopolitano. Reprobavit hoc conciliabulum Synodus VII. Act. 6. de qua supra. *Septimum est Pisanum* anno Christi 1511. congregatum ab Imperatore & Rege Galliæ atque aliquot Cardinalibus contra Julium II. Romanum Pontificem. Ad hoc conciliabulum referendum mox secutum est Concilium Lateranense V. à Julio II. ceptum, & à Leone X. perfectum, ut itidem supra diximus.

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HÆRETICORUM.

**IX. Error primus.** Concilia universim parvi sunt faciendæ, & de ijs ex Sacra Scriptura judicandum, cum aliqua de facto erraverint. Ita ex communi modernorum hæreticorum Joani Gerhard. Lib. 1. Part. 2. à fol. 478. qui deinde à fol. 493. variorum Conciliorum errores proponit. *Primo igitur Concilio Nicæno* duo errores obijciuntur. 1. quod statuerit can. 19. baptismum ab hæreticis administratum non valere, ac proinde rebaptizandos esse, qui ab eis baptizati fidem catholicam amplexi fuerunt. 2. quod can. 11. ijs militiam interdixerit, qui semel abjecto cingulo militari renunciasent militiæ ad agendam poenitentiam, quod repugnat Sacræ Scripturæ Luc. 1. v. 24. ubi S. Joannes militibus poenitentibus, & quid factum opus quærentibus non vetuit redire ad castra, sed tantum dixit: *neminem percutiatis, neque injuriam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* *Secundo Chalcedonense* afferunt tanquam Primatui Pontificio adversum; siquidem can. 28. Patriarcham Constantinopolitanum Romano Pontifici censuit parem. *Tertio Nicæno II.* geminos errores obijciunt. 1. quod act. 5. Angelos corporeos esse definiverit. 2. quod act. 4. piæ imagines Sacræ Scripturæ prætulerit. *Quarto. Eliberitanum seu Eliberitanum* triplicis erroris arguunt. 1. quod quibusdam in aliquot canon. sacram communionem in fine vitæ denegat contra D. Ambrosium Lib. 2. de poenit. affirmantem, poenitentis absolutionem & reconciliationem semper comitari *Dominica carnis communionem.* 2. quod picturas in templo simpliciter prohibeat can. 36. *placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* 3. quod can. 34. prohibeat cereos per diem in cimiterio in cendi; *inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt.* *Quinto. Constantinopolitanum III.* sæpius errasse dicunt, cu-

jus tamen canones videntur recepti. Nam non solum Pontifices Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperat. & Innocentius III. c. à multis deætat. ordinand. canones hos sub nomine Synodi VI. allegant; sed etiam Adrianus I. in epist. ad Tharas. in 11. Act. Synodi VII. eisdem confirmat. *Sexto Leodicense* capiunt, quod can. 1. statuerit, ut secundum indulgentiam reddatur communicatio ijs, qui secundis nuptijs juncti sunt. At non est indulgentia Episcoporum necessaria secundis nuptijs, quas constat à Spiritu Sancto in Scripturis Rom. 7. v. 3. 1. Corinth. 7. v. 39. &c. fuisse approbatas. *Septimo denique Concilio Toletano I.* erroris insimulant, quod in can. 17. decreverit, *posse admitti ad communionem eum, qui concubinam habet, modo non sit uxoratus.* At concubinarus est illicitus.

**X. Error iste** rejicitur ab omnibus Catholicis; & ipsis etiam Adversarijs repugnat. Nam Protestantes Principes & Status unanimiter flagitarunt universale sub Romano Pontifice Concilium tanquam unicum viam & certissimum medium componendarum controversiarum in rebus fidei, idque non solum requisiverunt in genere in octo comitijs Imperialibus, sed etiam in specie in duobus comitijs imperialibus desideraverunt Concilium Tridentinum, huic absolute & sine omni conditione obedientiam promittendo: atque ad istud à Romano Pontifice impetrandum Augustissimum Imperatorem Carolum V. vehementer & sæpe sollicitarunt. Quomodo ergo parvi faciendæ sunt à Lutheranis Concilia, quæ maximi aestimavere Protestantes Principes & Status? Quomodo Concilia errare possunt, ad quæ tanquam certissimam viam & regulam componendarum controversiarum appellavere Protestantes Principes & Status? Quomodo Concilia ex Sac. Scriptura sunt judicanda, à quibus controversias ex Scriptura ortas decidi voluere Protestantes Principes & Status? Hæc certe consideratio talis est, quæ Lutheranis juremeritissimo ruborem extorquere possit, quod à Majoribus suis tam turpiter & manifestè degenerent. Lutheranis non sunt meliores Calvinistæ; licet enim clamitent, se sex prima Concilia admittere, id tamen reipsa non fieri, patet tum ex dictis, ubi vidimus, eos nullis Synodis parcere, sed perinde omnes pertinaciter oppugnare. tum quia expressè aliqua in eisdem primis sex Concilijs reprehendunt, ut videre est apud Petrum Molinaum in suo novo Papatu, quæ inter objectiones Lutheranorum comprehendimus; ut sic utriusque unâ responsione satisfaciamus.

**XI. Respon. 1. ad Concil. Nicænum.** Quoad primum errorem, Concilium non fuisse locutum de omnibus hæreticis, sed tantum de Paulianistis, qui cum Paulo Samosateno negantes, *Christum esse DEUM:* & insuper cum Sabellianis omnem abrogantes *realem Personarum divinarum distinctionem, atque unicum in DEO Personam statuentes* talia ex consequenti verba in baptismo adhibere solebant, quæ hujusmodi hæresin saperent omnemque vero baptismo valorem & efficaciam tollerent; unde cit. canon. 19. sic incipit: *de Paulistis ad Ecclesiam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis.* Quoad secundum errorem can. 11. militiam interdicti in proposito in poenam peccati, ut sic operibus poenitentiae commodius vacare, & majorem fructum facere possint, qui eam incurrun; est quippe militia secularis valde negotio-

sa &amp;c



sa & iniqua; nemo autem, inquit Apostolus 2. Tim. 2. v. 4. *militans DEO implicat se negotijs secularibus*: atque olim Penitentes assiduis orationibus, perpetuis jejunijs, alijsque asperitatibus exercitabantur. Videri potest Cabassurio in notitia Concil. à fol. 62. ubi Concilia Arelatense II. can. 21. Agathense can. 15. Toletan. III. can. 12. & aliquot Patres in hujus rei confirmationem adducit. De reliquo non est verum, quod Molinæus affirmat, patres in Concilio Nicæno solum 20. canones statuisse. Videatur Forer in Antiq. Pap. Lib. 5. cap. 3.

XII. Respon. 2. ad Chalcedonense. canonem illud vigesimum octavum esse spurium absentibus Legatis Romani Pontificis clanculum confectum, qui postredie palam contra illum protestati sunt. Act. 16. ubi prope finem hæc habentur: *Ex his, quæ gesta sunt, & ab unoquoque (præsentium Patrum & Episcoporum) deposita, perpēdimus, omnem (ante omnia) quidem Primatum & honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ. DEI amantissimo Archi-Episcopo conservari &c.* Hinc in exemplari meo (quod est ex correctis Romæ 1628. editum) Tom. 2. fol. 418. circa finem Act. 15. tantum XXVII. canones ponuntur. Videatur cit. Author lib. 6. c. 27. fusè de hoc 28. Canone agens.

XIII. Dicit Gerhardus loc. cit. fol. 498. Quamvis Leo Papa decretum illud absentibus Legatis Sedis Apostolicæ factum reprobrarit, tamen cum nemo in propria causa possit esse Judex, majorem esse rationem habendam Concilij Sedem Constantinopolitanam Romanæ exæquantis, quam Papæ. Sed Novator non advertit, de hoc ipso agi, & nos Catholicos liquidò probare, Papam esse supra Concilium, eumque in possessione esse Superioritatis majorisque Authoritatis. Id, quod fuit adjectum, neminem in propria sua causa esse Judicem, intelligendum de hominibus privatis, & Superiorem agnoscentibus. Summus Pontifex autem non est privata persona, nec aliquem superiorem agnoscit. Ad hæc causa hæc non tam ad Papam, quam ad DEUM spectat, cuius ille in terris Vicarium agit. Cæterum Concilium istud Chalcedonense summæ semper fuit authoritatis, utpote à 630. Patribus præsentibus celebratum. Unde Cardinal. Bellarminus Lib. de Laicis prope finem ajens, *quædam mala, & quædam recipienda, quædam non; nequaquamquam loquitur de ijs, quæ legitime sunt decreta, & à Papa approbata, sed de ijs quæ aliunde irreplerunt, ut patet ex dictis.*

XIV. Respon. 3. ad Nicænum II. Quoad priorem errorem. Angelorum corporalitatem non à toto concilio definitam, sed ab uno Patre in discursu assertam fuisse, proinde infallibilitati Conciliorum non obstat. Nam constat, Patres alijsque Suffragatores Conciliorum solere ante definitionem dogmatum adducere pro eorum veritate. ac definitivitate varias pro suo quemque captu ac principijs rationes subinde bonas subinde malas, à quibus deinde abstrahit Concilium, dum concipit definitionem fidei, ut bene Esparza Q. I. de Angel. & nos supra. Quoad posteriorem errorem Imagines fuisse Sacræ Scripturæ præpositas non quoad auctoritatem & dignitatem, quasi certius sit, rem illam contingisse, prout pingitur, quam prout scribitur (cum constet, Sculptores & Pintores indoctâ pietate multa Sacræ Scripturæ minus idonea & consentanea depingere) sed pro-

pter affectuositatem præsertim apud simplices legere nescientes, qui magis moventur aspectu imaginum, quam obscuris verbis Sac. Scripturæ. Ajunt quidam, Concilium istud fuisse condemnatum à Concilio Frankofordienfi sub Carolo M. & ita sentiunt Baronius & Bellarminus Lib. 2. de Imaginibus c. 14. Sed horum sententiam improbat multis argumentis Sirmondus vir nostrâ ætate doctissimus. Certè in authenticis nihil tale reperitur. Videatur P. Schaten supra citatus.

XV. Respon. 4. ad Eliberinum concilium in Hispania tempore Sylvestri Papæ I. à 19. Patribus celebratum, istud fuisse tantum Provinciale; unde Cardinal. Bellarminus Lib. 2. de Imaginibus cap. 9. fatetur, illud errasse. Sed quia Innocentius Papa I. in epistol. ad Exuperium Tolosanum Episcopum, & Card. Baronius circa annum Christi 305. Tom. 2. Patres illos ab erroris nota eximere videntur. Diximus, Concilium illud in primis canonibus non negare penitentibus in fine vitæ communionem reconciliationis seu absolutionis, sed solummodo Eucharistiæ, idque ob certam rationem illius temporis, quam indicat Innocentius loc. cit. Unde recedit quidem hoc Concilium à benignitate aliorum conciliorum & Patrum nulli penitenti in fine vitæ viatici Sacri communionem subtrahentium, ut affirmat D. Ambros. loc. cit. non tamen accedit ad inhumanitatem Novatianorum & aliorum hæreticorum, qui penitentibus moribundis etiam communionem reconciliationis seu absolutionis pernegarunt, ut de Novatianis testatur Cyprianus epist. 67. ad Stephanum Papam, de Montanistis verò Tertullianus lib. de pudicitia c. 1. Deinde can. 36. Concilium prohibet imagines sacras pingi in parietibus Ecclesiæ, ne ludibrio forent Gentilibus tunc temporis in omnia Sacra Christianorum sævientibus; unde permisit in templo appendi imagines in tabellis depictas & mobiles, quæ furori Ethnicorum subtrahi citò poterant: Demum can. 34. Concilium prohibendo, ne cerei per diem in cœmeterio accendantur absterre solum vult Christianos à superstitione Ethnicorum, quibus persuasum erat, animas mortuorum tum cibis tum lucernis indigere, quibus & famem & tenebras dispellerent. Insuper ijdem Gentiles luminibus ad sepulchra utebantur ad impietatem & necromantiam, quò spectat vox inquietandi in can. posita juxta illud Spiritus Samuelis à Pythonissa rogati Saul Regis evocati: *Quare inquietasti me, ut suscitaver. 1. Reg. 28. v. 15.* Ab hac, inquam, superstitione & impietate Concilium absterre vult Christianos, minime verò prohibere, ne in exequijs funalia cereosque adhibeant ad significantiam lucem æternam, quæ post caducam hanc vitam Piorum animis affulget.

XVI. Respon. 5. ad Constantinopolitanum III. prædictos canones non esse editos ab ullo legitimo Concilio; unde ex illorum erroribus nihil infallibilitati Conciliorum demitur. Nicolaus I. stat pro nobis, etenim ait, *se citare canonem illum Gratianum, sicuti Paulus citavit verba Ethnicorum Poëtarum.* Innocentius III. nihil ibi definit de his canonibus, sed unum duntaxat recitat ex istis; quòd verò citaverit nomine VI. Synodi, factum est, vel quia sic communiter vocantur, licet reipsâ non sint: vel quia Innocentius ex Gratiano dist. 32. c. siquis. hunc canonem accepit, quem sæpe errate alibi jam diximus. Adrianus I. recitat solum



lūm sententiam Tharasi, nec refellit, quia canon ille 82 de picturis utilis erat eo tempore ad quæstionem, de qua agebatur. Itaque canones illi non sunt editi in Synodo VI. sed multis post annis tempore Justiniani II. Imperatoris, cui conciliabulo Romanus Pontifex nec per se, nec per Legatos suos adfuit, neque postea confirmavit, sed apertè reprobavit. Synodus VII. in definitione sua nullam etiam eorundem canonum facit mentionem, sed solum inter disputandum à privatis hominibus citantur. Videatur Bellarminus Lib. 2. de Concilijs c. 8.

XVII. Respon. 6. ad Laodicenses, non errasse Concilium, etiam si loquatur de secundo matrimonio: sed errorem correxisse aliquorum Episcoporum Bigamis communionem negantium; unde ab initio canonis nuptias Bigamorum vocavit honestas & legitimas. Illud verò secundum indulgentiam additum est ex D. Paulo I. Cor. 7. v. 6. ubi Apostolus ait, *usum conjugij se non precipere, sed indulgere.* Quemadmodum igitur Apostolus, cum ait, se indulgere usum conjugij, indicare non vult, se agnoscere culpam, sed concedere se minus bonum, etsi optaret, majus ab illis bonum teneri, ita Concilium dicendo, se indulgere secundas nuptias, indicare vult, se illas concedere, ut minus bonum, etsi optaret potius eligi viduitatem, quæ est bonum quoddam excellentius conjugio.

XVIII. Respon. 7. ad Concilium Toletanum I. concubinam hinc loci dici uxorem ductam sine dote & solennitate externa, ut notavit Gratianus dist. 24. can. omnibus. Demus hoc, inquit Gerhardus, quæ ratio dari potest, cur Concilium illud concedat in concubina, quod negat in uxore. Verum Concilium nō negat, posse duci uxorem, sed concubinam haberi non posse, qui prius jam habet uxorem. Instat. Leo Papa, cujus jussu concilium istud fuit celebratum epist. 92. ad Rusticum Narbonensem expressè ait, concubinam non esse uxorem. Sit hoc. At Patres Concilij nomen concubinæ pro vera uxore secundaria tamen acceperunt. Non obstat, quod addit Gerhardus, jussu Leonis Concilium fuisse celebratum; quia Leo non fuit author totius Concilij, sed tantum ultimi canonis; siquidem post illud inchoatum ipse primum in Papam fuit electus. Videatur Bellarminus loc. cit.

XIX. Error secundus. decreta aliquot Conciliorum secum invicem pugnare. Ita Gerhardus Lib. 1. part. 2. à fol. 502. & cæteri hæretici communiters, è quibus nominatim Petrus Molinæus varias Conciliorum discordantias ostendere laborat, ut videre est apud Forerum in Antiquitate Papatūs. Probant adducendo quasdam repugnantias. Prima. Concilium Carthaginense III. repugnatum placito Romani Pontificis statuens c. 26. neminem vocari debere Principem Sacerdotum. tum concilio Laodicensi can. ultimo aliquos libros inter canonicos non ponenti, quos illud inter canonicos collocat. can. 26. Secunda. Concilium Arelatense II. can. 2. sic decernit: *Assumi aliquem ad Sacerdotium in vinculo conjugij constitutum, nisi fuerit converso, non oportet.* Hoc decretum repugnat canoni 4. Concilij Gangrensis, in quo excommunicantur, qui nolunt interesse sacrificio, quod offertur à Presbytero conjugato. Tertia. Concilium II. generale can. 5. Primatum Ecclesiasticum tribuit Romano Pontifici; quod repugnat tum Carthaginensi III. cit. tum Nicæno, in cujus can. 7. tribuitur Episcopo Hierosolymitano. Idem Concilium II. generale statuit, post Romanum

Pontificem debere esse immediatè Episcopum Constantinopolitanum; quod repugnat Nicæno, à quo can. 6. secundus locus assignatur Alexandrino, tertius Antiocheno Episcopo. Quarta. Concilium Nicænum II. decrevit, imagines esse colendas; quod repugnat statuto Concilij Constantinopolitani II. ut fatentur Patres Nicæni II. Act. 6.

XX. Errorem hunc ex ipsis Christi verbis rejicimus, quæ habentur Matth. 12. v. 25. *omne regnum contra se divisum desolabitur, non stabit.* Ecclesia autem Romana sacrorum Conciliorum doctrinā nixa multis jam sæculis stat minime desolara. Quomodo ergo in prædicta Conciliorum doctrina est divisa & contra se pugnat? Non sic se habent aliæ Sectæ Lutheranorum Calvinistarum &c. Profitentur quidem orenus Symbolum Apostolicum, & duodecim hujus articulos. Sed similitalia fidei dogmata tenent, quæ contra illos pugnant, imò penitus eosdem evertunt. v. g. *DEUM non habere absolutam omnipotentiam, sed hoc esse commentum.* Calvin. lib. 3. Instit. c. 13. §. 2. Et in Isai. c. 23. §. 2. *Humanitatem Christi esse ubique, & in essentialibus Proprietates Dei positam.* Lib. Concord. Peccata non deleri, sed solum regi. Lutherani & Calvinistæ: Ecclesiam esse invisibilem, & solos in ea esse prædestinatos. Calvin. Lib. 4. Instit. c. 1. §. 2. & 7. *mandata DEI esse impossibilia observata.* Luth. Tom. 1. Jen. fol. 440. &c. Quid aliud prædictis Sectis restare potest, quam ut desolatæ concidant; quod fieri docet experientia, dum Lutherani, Calvinistæ, aliique Sectarij ex alijs in alios fidei errores delabi atque ita ad Atheismum totius fidei ruinam disponi videntur, nullam amplius animarum suarum, sed Statūs solum rerumque terrenarum curam habentes. Repugnantia, quas Concilij affingunt Adversarij, reverà non sunt tales.

XXI. Respon. ad 1. repugnantiam Concilij Carthaginensis III. quoad priorem errorem. Concilium istud fuisse Provinciale aut Nationale Episcoporum in Africa, quod ferre nequit leges universæ Ecclesiæ, sed solum particulari in Africa. Quapropter nec prohibuit, nec prohibere potuit, ne Romanus Pontifex diceretur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, sed solummodò ne Metropolitanus Africæ ita appellaretur. Videri potest Card. Baronius A. C. 419. num. 77. & seq. Quoad posteriorem, neutrum Concilium repugnare alteri; quia Laodicenum posuit in canone eos libros, de quibus Episcopi illius Concilij erant certi, alios autem omisit, non quidem negans eos esse canonicos, sed nolens rem dubiam definire: Carthaginense autem rem magis discussā definivit id, quod prius concilium sub dubio reliquerat. Non obstat, canones Laodicenses Concilij fuisse approbatos postea à concilio Trullensi; etenim istud probavit etiam canones Concilij Carthaginensis, & quia Laodicense fuit antiquius carthaginense, illud est ad istud retractum; siquidem antiquiores leges (imò & canones) ad posteriores trahi usitatum est L. ideo ff. de leg. Laodicense igitur non aliter fuit à Trullano approbatum nisi cum respectu ad Carthaginense Concilium, à quo expressè inter Canonicos libros positi fuerunt illi, quos Laodicense sub dubio reliquit, ut proinde id, quod Laodicense tacendo omisit, tam per Carthaginense, quam Trullense fuerit suppletum.

XXII. Respon. ad 2. repugnantiam. Concilia hæc sibi non adversari. Arelatense in can. assumi præcipit, ex conjugatis nullum assumi debere in

H h

Sacer-



Sacerdotem, nisi spondeat abstinere se ab usu conjugij. Gangrense verò mandat, ne Christiani horreant missam celebratam à Sacerdote conjugato; qui tamen ab uxore jam se abstinet, idque contra errorem Eustachij Sebastæ in Armenia Episcopi doctentis, Sacerdotes non posse ullo modo esse conjugatos; & talium Sacerdotum conjugatorum (etiãsi ab uxoribus se separaverint, & ab usu harum se abstineant) missas celebratas non debere audiri, nec Sacramenta alia ab iisdem consecrã accipi &c. Et quæ in his repugnantia? Videatur Forer in Antiquitate Papatûs Lib. 7. c. 7. num. 11. Solum ulterius adverte; conversionem in eod. can. assumi. non solum dici à statu malo ad bonum, sed etiam à statu bono ad meliorem. Unde D. Gregorius Lib. 2. epist. cap. 100. professionem Monachatus vocat conversionem; & extat tit. in jure can. de conversione conjugatorum.

XXIII. Respon. ad 3. repugnantiam. non apparere, quomodo Concilio Generali II. contrarietur alia Concilia. De Concilio Carthaginenfi III. jam diximus, nihil id valere contra universam Ecclesiam. In Nicæni can. 7. tribuitur solum à liquis honor Hierosolymitano Episcopo; minime verò Primatus Universæ Ecclesiæ; imò in eod. Concilio Sedes Hierosolymitana subicitur non solum Sedi Romanæ, Alexandrinæ & Antiochenæ, sed etiam Cæsariensi; quæ Palæstinæ erat Sedes Metropolitanã, ut patet ex can. 6. & 7. ipsius Concilij. Porro decretum illud de honore Sedium ficti à Concilio Nicæno prius factum fuerat, ita postea absque errore aut repugnantia in doctrinã poterat ab alio simili Concilio mutari. Quia verò sine sufficienti causa videbatur mutatum à Concilio Constantinopolitano, & deinde à Chalcedonensi, Romani Pontifices Damasus & Leo illud probare noluerunt, neque illorum Pontificum temporibus illud decretum fuit executioni datum, ut constat ex Leonis epist. 53. ad Anatholium, ubi loquens de decreto Concilij Constantinopolitani: *Frustra, inquit; quorundam Episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series negavit effectum.* Et in epistola ad Pulcheriam loquens de decreto Chalcedonensi ait: *Consensiones Episcoporum, canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes in irritum mittimus, & per Auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.*

XXIV. Cæterum canon, quem diximus, sextus Concilij Nicæni sic habet: *Antiqui mores servantur, in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus omnem habeat potestatem; quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia & alijs Provincijs sua privilegia Ecclesijs servantur. Illud autem omnino est manifestum, quod si quis absque Metropolitanis sententiã factus sit Episcopus, eum magna Synodus definit esse Episcopum non oportere.* Hæc sunt verba canonis; cui tamen initium deest supplendum ex Concilij pariter œcumenici Chalcedonensis Actio. 16. ubi Nicænus iste canoni à Paschasio Apostolico Legato sic allegatur: *Ecclesia Romana semper habuit Principatum: consuetudo viget in Ægypto &c.* Deinde in eadem Actioe Patres Chalcedonenses sic prosequuntur: *Videmus omnes ante omnia Primatum & præcipuum honorem secundum canones DEO amantissimo Archiepiscopo veteris Romæ conservari.* Ista porro canonis verba: *quod si quis absque Metropolitanis sententiã factus sit Episcopus, eum magna Synodus definit esse Episcopum non oportere.* quando quidem & Episcopo Romæ hoc est consuetum; sic intelligenda sunt, ut deo præfata in Ægyptum Lybiam & Pentapo-

lin Alexandrino Præfati competat Auctoritas, quia id ei jus tribuere solet Romanus Episcopus. Referre hæc voluit propter Petrum Molinæum in novo suo Papatu, ubi cum alijs hæreticis opinatur, prædictum canonem 6. Nicæni Concilij derogare Primatui Romani Pontificis, atque idcirco illum fuisse corruptum à Legatis Papæ in Concilio Chalcedonensi addendo: *Romana Ecclesia habuit semper Principatum.* Sed 1. falsum est; sæpe memoratum Canonem in minimo præjudicare Primatui Romani Pontificis; imò rite intellectus eidem patrocinator, si præsertim principium, cum quo in Chalcedonensi concilio fuit lectus, ipsi adjunctur. 2. falsum est; Legatos Romani Pontificis illum canonem corrupisse; cujus probatio Molinæo incumbit, si vir est honestus; non turpis calumniator. 3. falsum est, quod Novatoribidem affingit, Patres chalcedonenses audito canone cum tali principio universim exclamasse; illud in originali non reperiri. Adhæc si res penitus inspicatur, clarè apparet, Patres illius Concilij stare pro Primatu Romani Episcopi; quippe dant Episcopo Constantinopolitano secundas post Romanum; quis autem unquam audivit eum, qui constituitur secundus, esse ac dici priorem vel parè primò? Videri potest Bellarm. L. 2. de Rom. Pontif. c. 13. Forer in Antiquit. Papatûs Lib. 4. cap. 8. &c.

XXV. Respon. ad 4. repugnantiam, Synodum Nicænam II. cum nullo legitimo Concilio pugnare. Nam Constantinopolitanum sub Constantino Coprohymo celebratum nec legitimum, nec universale fuit. Tum quia atrox & inhumanus Imperator magnam partem Episcoporum minis & penis mortis adegit & coegit; ut in illo conventu comparent, & Imagines abdicarent & condemnarent, sicuti aliqui ex illis postea in Nicæno Concilio II. affirmarunt, suumque errorem revocârunt. Tum quia huic concilio nec Patriarcha Alexandrinus, nec Antiochenus, nec Hierosolymitanus, nec etiam Romanus Pontifex interfuert, aut ullo modo consenserunt, ut proinde privatum duntaxat concilium & illegitima Synodus fuerit. Tum quia tunc temporis ad Sedem Patriarchatus Constantinopolitani abque legitimo modo & electione ab insano Imperatore promotus fuit impius quidam Monachus & Imaginum hostis, per quem ille impijs suis decretis contra sacras Imagines adjumentum dedit. Sed Copronymus iste postea anno Christi 775. in bello contra Bulgaros meritam impietatis suæ pœnam lamentabili morte luit: concilium verò per Synodum Nicænam II. fuit antiquatum & condempnatum.

XXVI. Instat Gerhardus Lib. 1. Part. 2. cit. fol. 503. idem Concilium Nicænum II. ab Irene femina crudelissima & superstitionissima congregatum non solum cum præcedente Constantinopolitano, sed etiam cum Francofurdenfi pugnare, cui quinto anno post Nicænum II. celebrato interfuerunt Legati Romani Pontificis, & ipse Carolus M. atque in eodem fuit Constantinopolitanum confirmatum, Nicænum verò condemnatum. Respon. Irenes Imperatricis exordia pia & fortia fuerunt, & ista Religione, non superstitione incensa Oecumenicam Synodum apud Nicænam Bythinia convocari curavit. Utrum hæc à Concilio Francofurdenfi fuerit damnata, non convenit inter Authores, ut videre est apud Bellarm. Lib. 2. de Imag. c. 14. Binium ad Conc. Franco-



ford. Tom. 3. Concil. P. 2. fol. 160. & seq. Suarezium in 3. Part. tom. 1. D. 54. Sect. 3. Tanner Tom. 3. D. 5. Q. 2. n. 87. & alios. Aliqui affirmant, Concilium Francofordense pronunciale contra Synodum Nicænam II. sed ex mala informatione, quasi ista Synodus absque autoritate & consensu Papæ celebrata ordinasset, Imagines cultu Patriæ & DEO debito esse colendas; quorum neutrum veritati est consonum, atque idcirco damnatio subsecuta est, qui tamen error est solum Facti, & non Juris. Ita Bellarminus loco cit. Baronius A. C. 794. n. 4. Alij negant, contra Imagines in eodem Concilio Francofordensi fuisse decretum; cum in Authenticis, Actis nihil simile inveniatur: sed falsum rumorem per hæreticos excitatum increbuisse, quem deinde nonnulli Scriptores inconsideratè libris suis inferverunt. Ita Binius, Suarez, Tanner. Hanc negativam sententiam supra §. XIV. tenuimus, & contra fundamentum Adversariorum est. tum quod Concilio Franckfordensi interfuerint Legati Pontificij Theophylactus & Stephanus Episcopi insignes, à quibus, ut alios taceam, facile intelli poterat, quid in Nicæna Synodo paulò ante celebrata fuerit definitum, tum quod error adorandi imaginum cultu patriæ, ut DEOS, potius sit error Gentilium, quàm hæreticorum Christianorum. Sed quidquid eriam sit. Neutra Doctorum opinio cultui Imaginù & doctrinæ de his quidquam derogat. Nam prior in Concilio Francofordensi solummodo errorem Facti admittit, qui contingere potuit, cum particulare duntaxat Conciliù fuerit, & neq; Romanus Pontifex neq; Legati hujus in illà condemnationem confenserint, uti fatentur Centuriatores Magdeburgici Cent. 8. cap. 9. cum è contra Synodus Nicæna fuerit œcumenica, & ex præscitu ac consensu Romani Pontificis atque in præsentia Legatorum hujus celebrata, & postea ab eodem confirmata. Posterior Doctorum opinio ita apertè repellit instantiam, ut pluribus opus non sit. Atque ita Gerhardus frustra institit, quem decussisset, hanc nostram utique sibi non ignoram responcionem refellere, aut ab ista toties nequicquam obtrusa objectione se abstinere. Cætera, quæ hæretici sive tanquam errores sive tanquam repugnantiam afferunt tum contra alia Concilia, tum nominatim contra Tridentinum, suis quæque locis dissoluntur.

XXVII. Ex omnibus, quæ hætenus diximus, arbitrari quisque habet, quanti in Ecclesia Catholica æstimari oporteat Sacra ejusdem Concilia tantà autoritate primorum Capitum in universo Christiano orbe celebrata, tantà Patrum sanctitate, Doctrinâ, & divinarum juxta ac humanarum rerum scientiâ præstantium illustrata, tantà curâ, labore, examine elaborata, tantà denique Cœli favore & divini Spiritûs vi ac virtute firmata. Et tamen spurcissimus homo & deterrimus hæresiarcha Martinus Lutherus talibus ac tantis Concilijs quemvis rûdissimum Parochum aut Ludimoderatorem æquare & diceret, *maius lumen accedere rei Christiane ex catechismo suo puerili, quàm ex omnibus Concilijs.* Et quid opus est verbis, inquit, etiamsi omnium Synodorum decreta (qua lignea, fanum, stipulas, titiones appellat) possent per insundibulum demitti in tuum corpus, tamen nondum esses Christianus, quia nimis parùm conferunt. Calvinus paris impietatis hæresiarcha non benignior est in Concilia, quorum sententiam censet esse præjudicium, non iudicium, de qua sen-

tentia possit ac debeat quicumque etiam privatus homo judicare. Ita scribit L. 4. Inst. c. 9. §. 8. *quoties Concilij alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habuim sit, qua de causa habitum, & quo Consilio, quales homines interfuerint; deinde illud ipsum, de quo agitur, ad Scripturæ amussim examinari, idque in eum modum, ut Concilij definitio pondus suum habeat, sitque instar præjudicij, neque tamen examen, quod dixi, impediatur.* Plura in contemptum Conciliorum habet alibi, quæ consonant invecivis, censuris, calumnijs, mendacijs, quibus scætet liber Lutheri de Concilijs. Sed ita divina Providentia permittit prodire hæreticos, ut luculenter ab omnibus veritatis hostes agnoscantur. Nos eadem Sacra Concilia tanquam singularis divinæ erga nos Benevolentia argumenta teneamus, colamus, & omnibus laudibus extollamus: eisque humillimè nos subijciamus divini in eisdem Spiritûs illustrationem agnoscentes ac venerantes.

## CONTROVERS. XXXVII.

### DE VOCATIONE MINISTRO- rum Ecclesiæ.

**M**inistri Ecclesiæ communi nomine vocantur Clerici; quia, ut ait D. Hieronymus epist. ad Nepotian. *de sorte Domini sum*, videlicet ex Dei gratia & ordinatione ad divinum cultum specialiter consecrati, ideoque quasi *Sors, Pars, atque Hereditas Domini.* Hoc nomen Clerici ex divinis Litteris exceptum in ore fuit omnium Conciliorum Patrum ac Fidelium cunctis retro sæculis: solis herinatis displicet hodie hæreticis; sed quæ ad hanc illos displicentiam movent, non refutationem, sed detestationem merentur.

## PARS PRIOR

### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **P**opulus Dei tam in Veteri quàm in Novo Testamento duobus modis regi ac gubernari solet. 1. In rebus Politicis per Reges, Principes & alios Magistratus sæculares. 2. In rebus Ecclesiasticis per Ministros Ecclesiæ: In utroq; gubernandi genere necessaria est legitima Vocatio. Nam nequè in rebus Politicis, neq; in Ecclesiasticis potest aliquis sibi usurpare Regimen, nisi legitime ad hoc vocatus & deputatus sit; & si qui aliter faciant in Politicis, appellantur tyranni: si in Ecclesiasticis, fures & latrones juxta illud Joan. 10. v. 1. *qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est & latro.* Nos relicta Regum ac Principum sæcularium creatione, de Ministris Ecclesiæ, eorumque vocatione cum hæreticis disceptamus, de qua in Scriptura sic loquitur Apostolus ad Rom. 10. v. 15. *quomodo verò predicabunt, nisi mittantur.* Et ad Hebr. 5. v. 4. *nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, id est, nemo debet se ingerere & intrudere in officium Sacerdotale, sed debet assumi, & eligi*



& eligi à Deo, sicut Aaron & ejus posterii electi fuerunt.

II. *Doctrina prima.* Vocatio Ministrorum Dei ad obeundum munus aliquod v.g. Episcopi, Pastoris &c. in Ecclesia Christi est duplex; una ordinaria: altera extraordinaria. Ita omnes Catholici. Ordinaria Vocatio est, quæ fit à Deo; seu Dei institutione mediante consensu & coöperatione eorum hominum, quorum interest; quo pacto Parochus vocatur ex consensu Episcopi: Episcopus ex consensu Pontificis: Pontifex ex consensu Cardinalium. Extraordinaria est, quæ immediatè fit à solo Deo; quo pacto vocati sunt Moyses, Prophetæ, Apostoli. Utramq; in Veteri Testamento fuisse præfiguratum, bene ostendit Becanus in Manual Lib. II. cap. 12.

III. Ordinariè vocati Ministri erant in Synagoga triplices. 1. Pontifex seu summus Sacerdos. 2. Alij Sacerdotes inferiores. 3. Levitæ. Omnes isti è tribu Levi erant, qui speciatim deputati fuerunt divino cultui, ut desumitur ex Num. 2. v. 12. & ibidem ex cap. 8. v. 13. Præter hanc autem familiæ prærogativam quinq; requisita illorum vocationem complebant, exornabantque. *Primum est Electio seu persona designatio*, quæ fiebat per hæreditariam successionem. Nam Filij succedebant Parentibus, ut Aaroni Eleazar, Eleacero Phinees & sic deinceps Eccl. 4. v. 7. *Secundum est purificatio*, quæ fiebat certis ritibus à Deo præscriptis, cujusmodi erant aspersio aquæ lustratis, rasio pilorum, lotio corporis & vestium, oblatio sacrificij pro peccato, ut videre est Num. 8. v. 6. & Exod. 29. v. 4. *Ter tium est Consecratio Pontificis & Sacerdotum*, cujus faciendæ modus habetur Exod. 29. v. 4. & sequentibus: sicuti etiam consecratio Levitarum describitur Num. 9. v. 9. *Quartum est Applicatio* ad usum seu exercitium, quæ in Pontifice & Sacerdotibus fiebat per elevationem panis ex canistro, & carnis ex ariete immolato acceptæ; tunc enim non solum illis dabatur potestas sacrificandi, sed simul ad usum ministerij applicabantur: Levitæ verò applicabantur ad usum ministerij hoc ipso, quod jam consecrati intromitterentur in tabernaculum Fœderis domini Num. 8. v. 22. Ut autem major esset solennitas hujus actionis, nempe Consecrationis & Applicationis, triplex offerebatur sacrificium, Holocaustum: Hostia pacifica. Et Hostia pro peccato, Exod. 26. v. 1. Lev. 9. v. 2. *Quintum est Potestas & Officium.* Pontifex quædam officia habebat communia cum alijs Sacerdotibus v.g. offerre Sacrificia super altare Holocausti, in eodem Altari nutrire ignem perpetuum &c. quædam propria; nempe 1. semel in anno scil. in die solennitatis expiationis introire in sanctuarium seu in sancta sanctorum, Hebr. 9. v. 7. & instituere totius Populi expiationem ab omnibus peccatis toto anno contractis, Levit. 9. 2. Consecrare Sacerdotes & Levitas Exod. 29. & Levit. 8. ac Num. 8. 3. In Controversijs legalibus agere supremum Judicem, Deut. 17. v. 12. 4. In rebus magni momenti Deum consultare, quid agendum? Num. 17. v. 11.

IV. Extraordinariè vocabantur illi, qui à solo Deo sine ministerio hominum mittebantur ad docendum, reformandum, & arguendum populum; quo pacto missi fuerunt Moyses, Elias, Helisæus, & alij Prophetæ. Erat autem necesse, ut qui hoc modo dicebant se missos esse à Deo, hanc suam missionem certis ac evidentibus signis confirmarent; alioquin populus non credidisset ipsis, sed pro im-

postoribus habuisset, quod fatetur Moyses de se ipso, cum enim Deus dixisset illud Exod. 3. v. 10. *veni & mittam te ad Pharaonem, ut educaas populum meum filios Israel de Ægypto.* Respondit Moyses cap. 4. v. 10. *non credent mihi, neq; audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus.* Nec mirum, talem cautelam requiri, cum in humana etiam pollicia absque fide dignis documentis nullus pro Regis aut Principis alicujus legato agnoscat, vel admitatur; id verò in rebus, quæ æternam animi salutem concernunt, tantò plus observandum est, quænto & res ipsæ majoris sunt momenti. Porro dupliciter probabant Veteris Testamenti Prophetæ, se extraordinariè esse missos. *Primo per miracula*, sic Moyses probavit, quando virgam in serpente mutavit, & aquam in sanguinem convertit. Sic Samuel, sic Elisæus, sic alij Prophetæ; imprimis luculentum est miraculum Eliæ 3. Reg. 18. v. 21. *Secundo per veracem prædictionem futurorum*, quæ brevi erant eventura, quo pacto Elias 3. Reg. 17. v. 1. prædixit, fore ut *proximis tribus annis pluvia non sit*, Michæas 3. Reg. 22. fore, ut *rex Achab inseliciter pugnaret in Ramoth-Galaad*, Elisæus 4. Reg. 7. v. 1. fore ut *post unum diem sit magna annonæ vilitas*. Sic Isajas, Jeremias alij. Et quia hæc omnia evenerunt eo modo, quo Prophetæ prædixere, ideo magnam Autoritatem sibi apud populum conciliabant, & à Deo missos se esse persuadebant; sicuti è contrario, quia non eveniebant ea, quæ à falsis Prophetis fuerunt prædicta, nulla ipsis fides habebatur, atq; hoc signo discernendum esse inter veros & falsos Prophetas, constat ex Deut. 18. v. 21. *quando in nomine domini propheta ille prædixerit, & non evenierit, hoc Dominus non est locutus.*

V. Juxta prædictam figuram Veteris Testamenti in Novo præcipui Ministri Clericalis status sunt, *Papa, Episcopi, Presbyteri seu Sacerdotes*, quorum nomine intelliguntur etiam Pastores seu Parochi. Ordinariam istorum Vocationem eadem requisita constituerunt, illamque conspicuam fecerunt. *Primo Electio*, quæ fit per suffragium Cleri, cujus est, id oneas personas eligere ad ministerium Ecclesiasticum. Sic multis jam sæculis Cardinales eligunt Papam, Capitulares Episcopum, Episcopus vel hujus Vicarius Sacerdotes & Parochos pro sua quisque Diœcesi. Primitus tamen Christus Petrum & Apostolos vocavit; & hos Episcopos; illum insuper Papam creavit; atq; ab his ad Officium Pastoralis & quasi Apostolici Muneris participationem designati fuerunt Clemens, Titus, Timotheus & alij: & ab his rursus alij continuâ successione ad nostra usque tempora. *Secundo Purificatio*, quæ potissimum consistit in novitate animi, probitate vitæ, doctrina fidei, atque alijs virtutibus, quas Apostolus exprimit ad Titum. 1. v. 7. Dixi potissimum; quia spectando jus divinum Novi Testamenti non est necessaria externa & cæremialis purificatio; ex jure tamen Ecclesiastico propter honestatem & decentiam status clericali requiruntur etiam quædam externæ conditiones v.g. tonsura, seu rasio pilorum in capite, habitus clericalis, amotiones operum servilium &c. *Tertio Consecratio*, quæ fieri debet ab Episcopo per manus impositionem, uti semper in Ecclesia factitatum, & nullo modo ab homine laicali seu sæculari fieri potest, ut suo loco pluribus dicemus. *Quarto Applicatio* ad usum Ministerij, quæ communiter appellari solet Missio, & fit ab Ecclesiæ Prælati, qui Ministris jam consecratis assignant subditos, quos guber-



gubernent. *Quintò Potestas & Officium; & quidem Episcopi habent quædam munia cum Sacerdotibus communia, ut baptizare, Eucharistiam conficere, abolvere à peccatis, extremam unctionem dare, Evangelium prædicare &c. Quædam verò propria, ut Sacramentum confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, Ecclesiam consecrare &c.* De hac vocatione ordinaria loquuntur Theologi, quando dicunt, & ostendunt, in Ecclesia Catholica esse perpetuam successione[m] Pastorum & Doctõrum, in qua per legitimam Vocationem nempe Ordinariam & Mediatam unus alteri perpetuò successerit, quam successione[m] summopere extollunt S. S. Patres, & idcirco Ecclesiam Catholicam quibuslibet alijs præferunt.

VI. Extraordinariam Vocationem habuerunt Apostoli ad prædicandum Evangelium, Sacramenta administranda, & mundum convertendum à Christo missi, qui etiam, ut diximus de Moyse & Prophetis, suam vocationem ingentibus signis & magnis miraculis toti mundo contestari ac manifestum facere debuerunt: Marc. 16. v. 26. *Prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem sequentibus signis confirmante.* Imò nec ipse Christus dominus absque huiusmodi signis & documentis fidem à mundo exegit: Joan. 10. v. 17. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et Joan. 15. v. 28. *Si opera non fecissim in eis, que nemo alius fecit, peccatum non haberent.* His positis.

VII. *Doctrina secunda.* Ecclesia Romano-Catholica habet veros Pastores ac Doctores legitime à Deo ipsoque Christo vocatos. Ita indubitata veritas. Nam Ecclesia Catholica in promptu habet, potestq; exhibere catalogum Episcoporum tum eorùm, qui in primaria Cathedra Romana totum Ecclesiam gubernarunt, tum etiam aliorum, qui in unaquaque Ecclesia particulari debitam cum Sede Romana consensionem & connexionem retinentes præfederunt; à quibus Episcopis vel Romæ vel alibi commorantibus omnes alij, quotquot in universa Ecclesia extiterunt unquam, & existunt Clerici, ad ministerium divini cultus legitime vocati & designati fuerunt, ita ut suum quisque Episcopum nominare poterit, & possit, à quò ordinatus fuerit. Hanc Ordinariam ac Mediatam Vocationem Ministrorum, atque ab Apostolis nunquam interrupta serie continuatam semper successione[m] maximi, ut dixi, faciunt Patres relati copiose apud Tanner Parte 2. Anatomia Augustanæ Confess. Demonstrat. 4. Ex quibus solius vetustissimi Jrenæi testimonium lubet afferre, ita loquitur Lib. 3. cap. 3. contra hæreses: *sed quoniam longum est, omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maxima & antiquissima & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Roma fundata & constituta Ecclesia; eam quam habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientibus usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cecitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim (Romanam) Ecclesiam propter potentiorum principatam necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique Fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, que est ab Apostolis Traditio.* Et cum mox eam successione[m] Episcoporum in Ecclesia Romana usque ad Eleutherium suo tempore

præsidentem retulisset, subjungit: *Hæc ordinatione & successione, ea, que est ab Apostolis traditio & veritatis præconiatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam & eandem vivificatricem fidem esse, que in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata & tradita in veritate.* Eodem modo loquuntur ceteri PP. certè D. Augustinus contra Epistolam fundamenti cap. 4. inter cetera fidei suæ motiva ac veræ Ecclesiæ Notam hanc ipsam etiam successione[m] & Ministrorum vocationem refert, ut alibi jam diximus.

VIII. Dicunt hæretici, Parres non aliter loqui de Vocatione ac successione, nisi cum fundamento Apostolicæ doctrinæ; Scimus hoc nimis bene, & extra omne dubium est, Romanam Ecclesiam fundare successione[m] suam super doctrinam Apostolicam, dum firmissimè tenet omnes fidei Articulos, quos antiqui Sancti Patres velut Apostolicæ fidei ac doctrinæ testes ac custodes à mille quingentis & pluribus annis tradiderunt; & usque ad finem mundi consentientes ipsi Doctores Catholici tradidituri sunt, ne veluti parvuli fluctuantes omni vento doctrina circumferantur ad Ephel. 4. v. 4. Atque huius Apostolicæ doctrinæ, quam Romana Ecclesia semper retinuit ac retinebit, validum à posteriori argumentum atque indubitatum signum est, nunquam interrupta successio Romanorum Pontificum; & legitima Ministrorum Ecclesiæ vocatio; quia per hanc clarissimè apparet veritas promissionis Christi, quod *portæ inferi non sint prævalituras adversus Ecclesiam* Matth. 16. v. 18. *quod ipse cum Ecclesia velit manere usque ad finem mundi* ibidem cap. 28. v. 20. *quod oraverit, & absque dubio impetraverit, ne deficiet fides Petri. Quæ hucusque in Ecclesia Romana impleta fuerunt.*

IX. *Doctrina tertia.* Lutherus (idem sentiendum de Calvino, Zwinglio &c.) non habuit legitimam Vocationem ad reformandam Ecclesiam, & novam fidem inferendam; ideoq; non fuit à Christo ad hoc officium missus, nec legitimus Ecclesiæ extitit Minister. Ita omnes Catholici, & nominatim DD. à Walenburch integro Tractatu, qui habetur in Tom. 1. à fol. 908. contra Hermannum Conringium Lutheranum. Probatum à nobis allata doctrina breviter & efficaciter, Si Lutherus habuit legitimam Vocationem ad reformationem Ecclesiæ, & novam fidem mundo inferendam, vel habuit Ordinariam & Mediatam: vel Immediatam, atq; extraordinariam. Neutrùm dici potest. Ergo &c. Major liquet, quia tertia non datur vocatio; non potest etiam negari suppositum, nimirum Lutheri doctrinam, quæ Ecclesiam ac mundum reformare voluit, esse novam, quia ipse Lutherus Tom. 2. Ien. Germ. fol. 48. fatetur; *heminem se scire, qui de fide & operibus rectè judicare poterit, exceptis Apostolis: in ceteris verò libris id nequaquam inveniri.* Item suam doctrinam esse novam, se solum, se primum, se unicum fuisse in universo mundo, qui illam tradiderit. Et ne quis putaret, eum tantum de apparente, restituta, seu reducta novitate loqui, diserte alibi suam mentem explicuit, ajens: *Germaniam quidem olim verbum Pape audivisse, nescire tamen se, an unquam verbum Dei audierit, quasi diceret, nescire se an unquam Evangelium, quod ipse docebat in Germania, institutum & introductum fuerit.* Ergo quando Lutherus doctrinam suam simpliciter vocavit novam, non potuit de novitate apparente, renovatâ, reductâ seu restituta loqui, sed solum de novitate prius & antea nunquam audita.



X. Probat. Minor universim quoad utrumq; membrum, nempe Lutherum, nec Mediatam: nec Immediatam Vocationem habuisse. Quia impossibile est, secundum statum veræ Ecclesiæ à Christo re ipsâ institutum aliquem vel mediata, vel immediatè vocari ac mitti ad novam fidem mundo inferendam; quippe nulla talis fides esse potest vera fides, ut patet ex illo Matth. 16. v. 18. *Porta Inferi non prevalebunt adversus illam.* Si etiam Spiritus Sanctus visibili Ecclesiæ donatus manet cum eadem in æternum Joan. 14. v. 17. hoc est, usque ad consummationem sæculi, eamquæ docet omnem veritatem, quomodo fieri potest, ut Ecclesiæ doctrina unquam vitium contrahat, & errorum cono & squalore ita confescat, ut reformationi hujusmodi, qualem Sæctarij faciunt, locus esse possit, Quare fides Lutheri nova Mundo illata non potest esse vera, cum antiqua Romana Catholica ipsi opposita nunquam potuerit corrumpi, & esse falsa. Ergo Lutherus nec immediatè nec mediata potest esse vocatus ad talem fidem falsam Mundo inferendam, & Ecclesiam reformandam.

XI. Probat. jam eadem Minor in specie quoad primum Membrum, Lutherum scilicet, Calvinum, Zwinglium &c. non habuisse Ordinariam ac Mediatam Vocationem ad hanc Ecclesiæ reformationem, & novam fidem mundo inducendam. Nam Lutherus vel habuit ordinariam ac mediatam Vocationem ex communi statu hominis Christiani & baptizati, vel ex Sacerdotio, vel ex Doctoratu, vel à Magistratu civili. Nihil horum dici potest. Non primum, nempe ex communi statu hominis Christiani & baptizati. D. Paulus scribens ad Roman. 10. v. 15. cit. *quomodo predicabunt, nisi mittantur & ad Hebræos 5. v. 4. nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron,* agit utique de illis, qui Christiani fuerunt & tamen singularem vocationem requirit ad prædicandum, & Pontificatum. Ergo communis status hominis Christiani & baptizati non sufficit non solum ad talem generalem Ecclesiæ Reformationem, sed etiam ad commune officium Prædicatoris. *Antiochia erant Propheta & Doctores & inter hos Barnabas & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cirenensis & Manabem, qui erat Herodis Tetrarcha collaëneus, & Saulus, ut videre est Act. 13.* Ex his seligebantur à Deo Saulus & Barnabas ad Singulare opus, ad quod Spiritus S. uti illis volebat, c. 16. v. 2. Reliqui, quamvis essent Christiani & baptizati, imò Prophetæ & Doctores, ac sine dubio Sacerdotes, non arrogabant sibi Vocationem ad tale opus. Similiter Prophetæ in antiquo testamento erant fideles, imò & Presbyteri, sicut Jeremias, & tamen nullus ausus fuit sibi propheticum Officium sumere absque peculiari vocatione. Sæpius meminerunt Sæctarij 7000. virorum, qui ante Baal non incuraverunt genua sua à Deo reservati tempore Eliæ 3. Reg. 19. n. 18. & ad Rom. 11. v. 4. Isti erant verè fideles rectèque credentes, & probabiliter docti, imò Sacerdotes, nullus tamen arrogavit sibi vocationem grassanti in Israël idololatriæ se opponendi, & universalem reformationem inducendi. Solus Elias hoc sibi munus sumpsit extraordinariè ac Deo ad id vocatus. Quamvis igitur quilibet Christianus cavere sibi debeat ab idololatria, & erroribus, atque officio suo Sacerdotis, Doctoris, respectu sibi commissorum bene fungi, non tamen ipsi incumbit, generalem in Ecclesia reformationem instituire. Ergo Lutherus ex statu suo hominis Chri-

stiani & baptizati non est vocatus ad generalem Ecclesiæ Reformationem; quia inde non extraordinariam, sed ordinariam duntaxat potestatem accepit, quæ ad tale & tantum opus se non extendit.

XII. Non secundum ex Sacerdotio. 1. Si Lutherus per Ordinationem in Papatu legitimam vocationem obtinuit. Ergo Romana Ecclesia tunc temporis fuit vera Christi Ecclesia, habuitque verum Sacerdotium & potestatem ordinandi, ac mittendi Ministros Ecclesiæ; utique enim hæc potestas à Christo non fuit falsæ Ecclesiæ concessa? Atqui, Reformati nolunt fateri, Romanam Ecclesiam fuisse tunc, aut esse nunc veram Christi Ecclesiam. Ergo ex hac legitimam Lutheri Vocationem tueri nequeunt. 2. Romana Ecclesia post ceptam Lutheri reformationem vel perdidit Sacerdotium ac facultatem ordinandi & mittendi Ecclesiæ Ministros, vel non? Si posterius. Ergo etiamnum est, & manet penes ipsam; & Sæctarij non habent legitimos Sacerdotes, cum eorum Ministri extra veram Ecclesiam & absque potestate ordinentur. Prius dici non potest. tum quia Romana Ecclesia à tempore Lutheri in doctrina Religionis nihil immutavit. Ergo si Sacerdotium & potestas ordinandi apud illam stetit cum erroribus illis, quos sibi imaginatur Lutherus, etiamnum manet. tum quia, si Christus potestatem Romanæ Ecclesiæ per Lutherum abstulit, & in Reformatos transiit, Lutherus pro re tanti momenti specialem & extraordinariam Vocationem ostendere debet; cum Pæpali ordinatio non eò se extendat, ut ordinatus Romanæ Ecclesiæ auferre possit potestatem ordinandi. 3. Lutherus ipse scribit per ordines Sacros in Papatu nullum fieri coram Deo Sacerdotem, sed meram esse larvam & vanitatem, hæc ejus sunt verba Tom. 2. lat. Witt. fol. 393. pag. 1. *Si nulli negandi sunt esse Sacerdotes, maxime negandi sunt illi, quos Pæpistici Ordines exercent; neg. enim aliud agere possunt, quam id, quod ex animo intendunt agere, hoc est, non curant, ut docendi officium, sed sacrificandi & peccata audiendi potestatem conferant; quare nec fieri potest, ut aliud obtineant. At cum certissimum sit, Missam non esse sacrificium: deinde confessionem eam, quam præceptam voluit, nullam esse, utrumq; autem sit humanum & sacrilegum inventum, plane sequitur, per Ordines illos Sacros neminem fieri coram Deo aut Sacerdotem aut Ministrum, sed meram larvam mendacij & vanitatis.*

XIII. Dicunt Adversarij, duo attendi oportere; primum, quod in Papatu divinæ ordinationi consentaneum remansit: alterum quod eidem ordinationi per humanam inventionem contrarium irrepserit. Sed inane effugium. Tum quia ratio generica, ut ut in se præcisè bona, corrumpitur tamen per specificationem malam, ut patet in contractu usurario. Ergo etiam si ordinatio in genere sit bona, per Pæpisticam tamen specificationem, quæ ad sacrificium, Confessionem auricularem &c. dirigitur, corrumpitur, redditurque absolute mala. Tum quia verus sensus non minus pertinet ad legitimam prædicationem, Sacramentorum administrationem &c. quam ad ipsam Scripturam. Sed Catholici juxta phantasmam Sæctariorum non habent legitimum sensum ad prædicationem, Sacramentorum administrationem &c. Ergo non concedunt in ordinatione sua potestatem prædicandi, Sacramenta administrandi &c. Tum quia Lutherus ait, *Pæpistas nihil posse aliud facere, quam quod facere intendunt, sed non intendunt dare potestatem Mun-*

do Lu.



do Lutherani invehendi Evangelium, sed sacrificandi, confessiones audiendi, prædicandi doctrinam Ecclesiæ. Ergo ordinati in papatu non aliam accipiunt potestatem. Ergo nec Lutherus in ordinatione sua potestatem aliam accepit, quam prædicandi doctrinam Ecclesiæ, Sacrificandi &c.

XIV. Non tertium ex Gradu Academico seu Doctoratu. Tum quia per Doctoratum non confertur propinqua potestas prædicandi Evangelium, sed solum publicè exhibetur testimonium sufficientis doctrinæ, ut in exemplo est manifestum. Fiat aliquis Doctor Theologiæ Tubingæ, num ideo potestatem habet in Saxonia aut quavis aliâ civitate prædicandi Evangelium inconsulto Magistratu & Superintendentibus Lutheranis? Ergo per Doctoratum præcisè non conceditur potestas Apostolica; aliàs etiam Doctor Carolstadius fuisset verus Apostolus. Tum quia Lutherus ipse faretur Doctoratum seu Magisterium Theologicum tantum prodesse Ecclesiæ, quantum diabolus; quomodo igitur per Doctoratum fuit vocatus ad Apostolatatum? Antecedens probatur. Inter articulos Wiclephi Constantiæ damnatos est etiam iste: *Universitates, Studia, Collegia Graduationis & Magisteria in eisdem sunt vanâ gentilitate introducta, & non plus Ecclesiæ profunt, quam diabolus*; Wiclephi autem articulus Lutherus Tom. 2. Lat. Witt. in assertionem Articulorum omnes probavit his verbis: *In faciem tuam, Sanctissime Dei Vicarie, tibi liberè dico, omnia damnata puncta Joannis Husij (assectæ Wiclephi) esse Evangelicæ & Christianæ. Ergo Lutherus non accepit à doctoratu vocationem suam. Tum quia ex verbis ipsius Lutheri supra cit. constat, illis, qui ordines & gradus Academicos sumunt, non aliam accipere potestatem, nec aliam subire obligationem, quam intendunt ordinans & ordinatus, promovens ac promotus. Atqui Ordinans & promovens Lutherum ad Doctoratum & Licentiatum non aliud intendit, quam creare Pontificium Licentiarum & Doctorum, nec ipse Lutherus creati voluit, nisi Catholicus Licentiatum & Doctor. Ergo Lutherus non solum secundum nostram, sed propriam ipsius sententiam in Doctoratu non aliam accepit potestatem docendi, quam ut Catholicus & Papisticus Doctor ac Theologus, & ad hanc doctrinam solum juramento se obstrinxit, cum nec ipse, nec promotor ipsius aliam habuerint intentionem. Non obest, illum jurasse, pro viribus se veritatem Evangelicam defensurum; quia prædictum ejus juramentum fuit determinatè directum ad doctrinam Romanæ Ecclesiæ, quam ipse tum temporis, uti re ipsa erat, pro unica, incorrupta, infallibili veritate habuit, & juxta expositionem SS. Patrum & Conciliorum ac declarationem Ecclesiæ intellexit.*

XV. Dicunt Sectarij intentionem humanam non præjudicare intentioni divinæ, quasi Lutherus ex intentione divinâ hanc reformandæ Ecclesiæ facultatem accepisset. Sed contra est. Tum quia Lutherus ipse requirit intentionem ad valorem Sacramenti ordinis tam in conferente, quam suscipiente. Tum quia Gradus Academici & Professuræ non sunt à Deo institutæ, sicuti Sacramenta, sed dependent ab institutione humana. Tum quia difficile est creditu, ritè baptizari illum, qui aspersus exteriori aquâ inter consueta verba intus contradicit, nec vult id, quod Christus instituit; certè hoc apparet contra mandatum Christi Matth. 28. v. 19. *Baptizantes eos in Nomine Patris &c.* quod

absque dubio propriè intelligendum, ut nimirum Baptisma suscipiatur non solum exterius, sed etiâ interiorius cum intentione conformi Christi institutioni.

XVI. Quærent iidem Sectarij, an promotio & juramentum Doctoris A Catholicæ Lutherani scilicet aut Calvinistæ, qui postea fit Catholicus, habeat retinereque obligationem. Respon. Negative. Tum quia vi Doctoratus sui non affert publicum testimonium doctrinæ Theologiæ Catholicæ; etenim dum Doctor est factus, Lutheranus aut Calvinisticæ Theologiæ studuit. Tum quia talis Doctor A Catholicus juravit super Lutheranam aut Calvinisticam in Sacra Scriptura malè fundatam doctrinam, super Confessionem Augustinam &c. quod juramento Catholici Doctoris repugnat. Tum quia idem non accepit potestatem extraordinariam docendi Theologiam Catholicam, sed potestatem super doctrinam Lutheranam aut Calvinisticam ita ut istud in specie fuerit determinatum. Quare verba illa generalia (*de veritate Evangelicâ pro viribus docenda*) quoad promotionem Academicam & obligationem inania & absque effectu remanserunt. Alia est ratio de Doctoribus Juris, Medicinæ, & Philosophiæ; quia in his quoad substantiam non apparet differentia.

XVII. Non deniq; à Magistratu Civili. 1. Quia hujus non est vocare & ordinare Ministros Ecclesiæ, sed hæc potestas ad eos pertinet, quorum est regere Ecclesiam, nempe Episcoporum Act. 20. v. 8. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* 2. Christus voluit, ut Apostoli ac Successores eorum eo modo Ecclesiam gubernarent, quo ipse præsens eandem rexit. Sed ipse elegit Apostolos & Discipulos sine ullo multitudinis suffragio. Ergo &c. 3. Continua praxis est in Ecclesia, ut Episcopi ac Sacerdotes absque populi electivo suffragio constituantur: & inauditum est in Ecclesia à solâ potestate civili constitutos fuisse Pastores & Ministros Ecclesiæ. Interim non negamus, populum antiquitus electionibus Episcoporum & aliorum Ministrorum Ecclesiæ interfuisse: attamen habuit solum suffragium petitionis & testimonij, ita ut directio, limitatio, revocatio & potestas semper penes Præpositos Ecclesiasticos staret. Plura de hoc ipso in Contröv. de Sacram. Ordinis. Solummodo nunc addo, Canones in oppositum adduci solitos pridem antiquatos fuisse, aut fictitios esse. Videatur Baron. Anno Christi 774. Ex hæcenus dictis apertè constat, Lutherum non habuisse Ordinariam ac Mediatam Vocationem nec à Christianismo & Baptismo, nec à Sacerdotio, nec à Doctoratu, nec à Magistratu Civili.

XVIII. Ad Extraordinariam igitur & Immediatam Vocationem venimus, quam Luthero adscribunt Meisnerus de fide Lutherana capessenda fol. 260. & 481. Wolfgangus Francius in Jubilæo Lutherano. Apostata Reihing de vera Ecclesia fol. 16. Calvinus verò in suis Institutionibus, & Beza in Confess. fidei eandem sibi tribuunt. Cum Reformatio, quam Lutherus & Calvinus temerè præsumperunt, talis extiterit, ut à condito orbe ejusmodi non fuerit attentata; idcirco nemo absque evidenti demonstratione divinæ & extraordinariæ Vocationis acceptare eandem potest ac debet, idque hæc de causis. *Prima.* quia inducta à Luthero doctrina à tempore Apostolorum nunquam



quam in Ecclesia Christi fuit publicè agnita, & exercita; siquidem Centuriatores Magdenburgici ad finem cujuslibet centuriæ farentur, articulos Romanæ Ecclesiæ semper doctos, & in publico usu fuisse. *Secunda*, quia nullus antiquus historicus nominari potest, qui attestetur, tempore Apostolorum & sequentibus sæculis Lutheranam Justificationem per solam fidem fuisse pro Apostolica habitam, Matrimonium pluris factum, quàm virginitatem, Sacrificium Missæ veluti Idololatricam abjectum &c. *Tertia*, quia SS. Patres & antiquiores Doctores, qui à Christo post Apostolos dati nobis sunt Magistri, ne erraremus ad Ephes. 4. v. 11. & qui doctrinæ ab Apostolis immediate acceptæ optimam notitiam habuere, non aliam unquam, quàm Romano-Catholicam Religionem verbo & exemplo Orbi Christiano tradiderunt, atque in Scriptis suis reliquerunt. *Quarta*, quia doctrina ab Evangelicis Reformato-ribus introducta non solum nunquam fuit pro verâ & Apostolica acceptata, sed etiam tanquam hæretica damnata; siquidem illi, à quibus Novatores eam sumpsere, catalogis hæreticorum ab antiquis Patribus fuerunt inserti. Videantur Chronographia Genebrardi, & Tabulæ Chronologica Jacobi Gualteri. *Quinta*, quia Sectarij præsertim Lutherani tot & tantas committunt fraudes, mendacia, deceptiones & corruptiones in allegandis & declarandis Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus & Historicis ad dogmata sua pallianda & fucos inficienda, ut nemo Sinceri animi persuadere sibi possit, veritatem apud tales homines reperiri. *Sexta*, quia Sectarij Verbum Dei Scriptum unice ac perpetuò crepant more hæreticorum, cum tamen ostendere infallibiliter nequeant, quis illorum præ alijs verum Sac. Scripturæ sensum habeat. *Septima*, quia Lutherus & Calvinus fuerunt homines impijssimi, flagitiosissimi, & turpissimi absque umbra etiam pietatis, sanctitatis, & devotionis Christianæ, adeo ut de Luthero affirmarit Carolus V. Imperator in Edicto Imperiali: *illum non hominem, sed demonem potius esse figurâ & specie humanâ cucullog, monastico indutum.* Calvinus Luthero nihilo fuit melior, nec dæmoni absimilior. Quis autem credibile putet, Deum talibus sceleribus uti velle tanquam instrumentis ad reformandam Ecclesiam, & veram ejus sanctitatem inducendam? Certè nemo hominum unquam publicam meretricem reformandis Monialibus Magistram designaret. Hæc profectò talia sunt, ex quorum consideratione doctrina ista nec possit nec debeat pro Apostolica ac Catholica æstimari, acceptarique sine evidenti & cælitus demonstratâ Extraordinaria Vocatione Auctoris sui. Nunc

XIX. Probatur Lutherum, Calvinum, Zwinglium &c. talem vocationem Immediatam & Extraordinariam non habuisse, id quod supra in Minore posuimus. *Prima*. Quia omnes in prædictum modum vocati (saltem ubi non simul adest alia vocatio ordinaria) instruuntur à Deo, sicuti res ipsa exigat, manifestis quibusdam exterioribus signis sive indicijs, ex quibus cuique evidenter credibile fiat, tales esse divinitus missos & vocatos; siquidem alias nemo posset, aut deberet ejusmodi Legatis fidem habere, sicuti etiam in humana politia, ut supra diximus, absque fide dignis documentis nullus pro Regio aut Principis alicujus Legato agnosceretur. At vero neque Lutherus novus

scilicet Ecclesiæ Reformator, neque Calvinus, aut Zwinglius &c. ullis ejusmodi signis vel indicijs manifestis suam à Deo immediatam & extraordinariam Vocationem testatam facere poterunt, utpote nec ullis miraculis instructi, nec ullâ insigni vitæ Sanctitate illustres. Ergo fatendum est, eos à Deo immediatè ad magnum illud Reformationis opus vocatos non fuisse. Utitur hoc ipso argumento adversus sui temporis hæresiarchas etiam Tertulianus L. de præscript. c. 30. sic scribens: *Probet se novos Apostolos esse; dicant, Christum iterum descendisse (scilicet ut eos sibi Apostolos adficeret) iterum ipsum docuisse, iterum Crucifixum, iterum Mortuum, iterum Resuscitatum; sic enim Apostolos solent facere, dare illius præterea virtutem eadem signa edentibus, quæ & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferte, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, quâ Apostolos in perversum amulantur; illi enim de mortuis vivos faciunt, isti de vivis mortuos faciunt &c.*

XX. Probatur *Secundò*, ex incredibilem inconstantia Lutheri. Nam in multis summi momenti Articulis nullam certam constantem & invariantam doctrinam tradidit, sed velut arundo vento agitata modò in hoc, modò in illud latus nutavit, sibi que ipsi assidue contradixit, ita ut non solum annus ab anno, sed etiam unus idemque mensis nonnunquam à se ipso in gravissimis rebus discordaret; nominatim de Sacramentorum numero; de Transubstantiatione, & Adoratione Eucharistiæ; de Infallibilitate Ecclesiæ, & SS. Patrum Auctoritate; de Necessitate bonorum operum &c. Inconstantia illa manifestior est, quàm ut ab Adversarijs possit sine notæ impudentiæ negari. Videatur Protheus Evangelicus, Germanicè det & *vangelische Wetter-Hann* dictus, & apparebit à condito orbe nullum hominem fuisse, cujus dicta inter se & crebrius & manifestius pugnaverint, quàm Lutheri. Parem inconstantiam in Calvinò ostendit Jodocus Kett. *Im New-Edingburghen Kelterhaus* à fol. 124. Quapropter cum illi & non de eadem re simul vera esse nequeant, sed unum ex illis falsum esse oporteat: Nihil autem magis quàm falsâ doctrina extraordinariæ & immediatæ à Deo Vocationi adversetur, luce clarius est, Extraordinariam & Immediatam Vocationem apud Lutherum & Calvinum non reperiri.

XXI. Probatur *Tertio*. Ipse Lutherus fatetur, se non habere Immediatam & Extraordinariam Vocationem. Ita scribit: Tom. 2. Jenen. fol. 431. *Nunquam adhuc predicavi, nec predicare volui, nisi ab hominibus vocatus & rogatus; quia gloriari non possum, quod Deus de cælo sine medio me miserit.* Atqui si extraordinariè & immediatè per evidentem illuminationem à Deo esset vocatus, utique ipsummet non latuisset, & gloriari merito de hoc in Domino potuisset. Idem in Epist. von den Schleicheren seu furtim irrepentibus Anno 1532. data & impressa Tom. 5. Germ. pag. 492. parim se certum de vocatione sua agnoscat, ideòque sic scribit: *dixi septi, & iterum dico, totum mundum me non accepturum pro Doctoratu meo; quia alias desperare deberem, si tale tantum mihi incumbens negotium, sicut sur irrepens, absque vocatione & mandato Dei cepissem.* Ecce Lutherus post aliquot annos ceptæ reformationis nihil apud se agnoscat extraordinariæ & immediatæ Vocationis à Deo, imò de ordinaria & mediata vehementer anceps hæret, atque ex solo doctoratu se solatur, quasi hinc saltem aliquid apparentis vocationis



nis mediatae & ordinariae venari possent; quod tamen ipsum luculenter jam rejecimus §. XIV.

XXII. *Doctrina quarta.* Ecclesia Evangelicorum, hoc est, Lutheranorum, Calvinistarum &c. non est vera Ecclesia, nec veros habet Ministros & Sacramenta Altaris, & Absolutionis &c. Ita omnes Catholici. Probatur hoc fundamentali discursu. Illa non est vera Ecclesia, quae non habet veros Episcopos & Sacerdotes per legitimam Successionem Electionem, Consecrationem, & Potestatem ab Apostolis descendentes. Sed Ecclesia Lutherana Calviniana &c. non habet tales Episcopos & Sacerdotes per legitimam Successionem, Electionem, Consecrationem, & Potestatem ab Apostolis descendentes. Ergo Ecclesia Evangelicorum non est vera Ecclesia. Major elucet ex eo, quod Christus Apostolis atque in primis Petro dederit Claves Regni Coelorum, & mandatum paciscendi oves suas; quod paciscendi munus maxime legitimam Pastorum ordinationem seu constitutionem requirit. Nam tum ex Actis Apostolorum ex epistola D. Pauli constat, in primitiva Ecclesia Ministros, Episcopos, & Sacerdotes aut ab ipsis solis Apostolis, aut ab illis, quos ipsi prius jam Episcopos initiaverant, fuisse electos, & per Manuum impositionem consecratos, atque una cum sufficienti potestate missos ad Evangelium praedicandum, Ecclesias erigendas &c. ut videre est Act. 6. v. 1. & ibidem c. 13. v. 3. c. 14. v. 23. c. 19. v. 22. quale etiam mandatum dedit Paulus Tito c. 1. v. 5. Si igitur omnis Ecclesiastica Vocatio & Potestas primitus ab Apostolis post Christi institutionem est derivata, necessario infertur, eandem vocationem consecrationem, ac potestatem non habere vim ac valorem, nisi per legitimam Successionem ab Apostolis legitima Vocatio, Consecratio & Jurisdictio demonstrari possit. Vera autem Ecclesia non est, quae veros non habet Sacerdotes, ut per se patet, & aperte tradit S. Hieronymus mox allegandus.

XXIII. Confirmatur auctoritate Patrum, è quibus Tertull. de praescript. adversus haeres. c. 20. sic scribit: *Apostoli Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducuntur fidei & semina doctrinae, cetera exinde Ecclesia mutuata sunt, & quotidie mutantur, ut Ecclesia fiant. Ac per hoc & ipsa Apostolica reputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum: omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. Itaque, tot ac tanta Ecclesia, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Et paulo post: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum et volvant ordinem Episcoporum suorum, ita per Successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseverarint, habuerit autorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesia Apostolica census suos deserunt; sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum à Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proinde utiq; & cetera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Conspiciant tale quid haeretici &c. S. Hieron. Dialog. contra Lucif. c. 4. haec habet: *Hilarius cum diaconus ab Ecclesia recesserit, solusq; ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam consicere potest Episcopus & Presbyterum non habens (scilicet in Ecclesia sua putantia) neq; Baptisma sine Eucharistia (olim enim Baptizati statim communicabantur.) Et cum homo mortuus jam sit, cum homine pariter perijt & Secta, quia post se nullum Clericum Diaconum potuit ordinare: Ecclesia autem non est, qua non habet sacerdotes. Similia reperuntur apud alios P. P. qui defectum hujus Successionis Electionis Consecrationis ac Potestatis ab**

Apostolis derivatae pro certissimo signo habent falsae Ecclesiae & haeresis. Hinc cum tanta diligentia inquisiverunt & recensuerunt Successionem Romanorum Pontificum usque ad sua tempora saepe illam haereticis objiciendo, utpote qui eandem monstrare non valent. Vos inquit Optatus Milevitanus L. 2. contra Donatistas. *Vestra Cathedra originem edire, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vendicare, quae absque talibus Episcopis & Sacerdotibus non subsistit, ut audivimus ex D. Hieronymo.*

XXIV. Probatur jam subsumptio, seu Minor primi Syllogismi. Si Ecclesia Evangelicorum haberet Episcopos & Sacerdotes per legitimam electionem, consecrationem, ac potestatem ab Apostolis descendentes, tum posset continuam eorum successionem exhibere. A qui non potest. Nam Sacerdotes apud Lutheranos Calvinistas &c. non per Episcopos (qui continuam successionem uni us post alium ab Apostolis descendunt) nec Episcopi ab alijs consecratis Episcopis eliguntur, consecrantur, & constituuntur, sed à Communitate, Magistratu, & alijs Ministris; qui Episcopi consecrati non sunt, nominantur & designantur applicanturque, ut ipsi Adversarij fateantur, & negare non possunt. Ergo eorundem vocatio omnino non ab Apostolis descendit, hoc est, nec Immediate, quod ipsum Sectarij sibi non attribuunt, nec Mediate, quia necessario ad istud medio, scilicet Successione destituntur.

XXV. Porro solos veros Episcopos à communibus Sacerdotibus distinctos accepisse ab Apostolis potestatem eligendi & consecrandi Episcopos sacerdotes, est unanimes consensus Patrum, qui in verbis illis Apost. i. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, qua data est tibi per impositionem Manuum Presbyterij, per Tō presbyterij intelligi certum sacerdotum Majorum, id est Episcoporum. Unde D. Chrysostr. super eadem ita scribit: Non de Presbyteris hic loquitur: nec enim profecto Presbyteri ipsam ordinaverunt. Idem confirmat D. Hieronym. Epist. 55. dicens: quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod non facit Presbyter, q. d. communis Sacerdos ex commillione potest omnia facere, quae Episcopus, excepto, quod consecrare non possit Episcopos & Sacerdotes. Non obest, olim omnes Sacerdotes vocatos fuisse Episcopos; hujus enim valde probabilem rationem assignans Theodoret. in c. 3. ad Timoth. ait: *Eosdem olim vocabant Episcopos & Presbyteros; eos autem, qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos, precedente autem tempore nomen quiddam Apostolatus reliquerunt ijs, qui verè erant Apostoli, Episcopatus autem appellationem imposuerunt ijs, qui olim appellabantur Apostoli, ita Philippensium Apostolus erat Epiphroditus. His P. P. consentit Concilium Generale Septimum, quod est Nicenum II. can. 3. Sic statuens: *omnis electio Episcopi vel Presbyteri, qua sit à Magistratibus, irrita maneat; oportet enim eum, qui est promovendus, ab Episcopo eligi. Quod ipsum ab initio Ecclesiae adhuc in quatuor primis saeculis ita sedulo fuit observatum, ut contraria opinio, quam Aërius asserere fuit ausus, pro haeresi & insana doctrina fuerit habita. Erat, inquit Epiphani. Haeres. 77. *Ipsi sermo furiosus magis quam humane conditionis, dicebat: quid est Episcopus ad Presbyterum? nihil differt hic ab illo; unus enim est ordo, unus honor, & una dignitas. Imponit manus Episcopus, ita etiam Presbyter, quem postea errore fuisse refutat, atque eundem Augustinus etiam catalogo Haeserum inserit. Demum****



Nec unicum exemplum afferri potest, quod à tempore Apostolorum in Ecclesia Catholica ullus unquam verus ac legitimus Episcopus fuerit habitus, qui suam vocationem, consecrationem ac potestatem à non vero consecratóque Episcopo acceperit. Quare ex defectu isto fateri debent Reformatores, aut nullitatem sui ministerij, aut cum infano Aërio pati, se in Registrum hæreseos ab Epiphano & August. inscribi; quemadmodum autem Lutherani, & Calviniani cæterique A catholici veros ac legitimos Episcopos & Sacerdotes non habent, ita etiam non habent vera Sacramenta Altaris & Absolutionis, quæ non nisi à veris Sacerdotibus conficiuntur. Manet igitur juxta doctrinam nostram Catholicam solidissime probatam Evangelicos, Lutheranos scilicet Calvinistas &c. nec Ecclesiam veram, nec veros Sacerdotes, nec Sacramenta vera Altaris scil. & Absolutionis habere.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XXVI. **E**rror primus. Lutherus, qui est quasi parens omnium Ministrorum Ecclesiæ, ut vocant, reformatæ, legitimam habuit vocationem. Ita unanimiter Evangelici; est tamen quoad modum vocationis inter ipsos diversitas. Plerique Lutherani volunt, Lutherum habuisse vocationem Ordinariam ac Mediatam. Ita testantur Meno Hanneken in suo Iremio à fol. 781. & Tobias Wagner in suis censuris à fol. 275. his nixi rationibus. Tum quia Lutherum ad officium prædicandi vocavit Communitas Wittenbergica; ad ordinariam autem vocationem prædicatoris consensum Populi requiri ac sufficere, ex multis & clarissimis scripturæ locis ostendi potest. Tum quia Lutherus sacerdotalem vocationem juxta morem consuetum Anno 1520. accepit, vi cujus obligatus fuit, in Ecclesia servare, quæ in ea permansere bona, & extirpare, quæ sensim in eandem irreperunt mala. Tum quia eandem vocationem tribuerunt Lutheri Doctoratus, Professura, & Juramentum, vi quorum debuit Evangelicam veritatem tueri. Tum quia universim omnes cavere sibi debent à falsis prophetis Matth. 7. 15. à lupi rapacibus. Act. 20. v. 29. &c. Istud mandatum habuit adhuc Lutherus in papatu, cur non obligare illum potuit? Aliqui tam Lutherani quam Calvinistæ malunt Lutheri concedere Extraordinariam Vocationem, sicut de Calvino & Beza supra diximus. Afferunt autem iniquum esse, miracula à Lutheri requiri. Tum quia si probetur, illius doctrinam esse Apostolicam, simul etiam monstrari miracula; nam, inquit, in hoc totum est positum, ut sciatur ubi veritas sit Evangelica. Tum quia ex opposito, ubi veritas sit Evangelica, Tum quia nulla extat promissio, velle Deum ultimis temporibus veram fidem per miracula facere manifestam; cum etiam hæc miracula à falsis prophetis præstari possint Matth. 24. v. 24. Tum quia vaticinia tam Apostolica Apoc. 14. v. 6. quam Ecclesiastica produnt divinam Lutheri vocationem. Uuum ex istis Ecclesiasticis habetur in templo Friderici Barbarossæ expressum, ubi statua Monachi

extructa circa annum Christi 1170. cum inscriptione Lutheri, referente Theophraste Paracelso in Chronica Carinthiæ. Alterum Joannis Hufsi ad rogum euntis & dicentis: post centum annos veniet Cignus, quem assare non poteritis. Tertium Gothæ in Monasterio Augustinianorum 1531. sub destructo Altari repertum fuit hoc disticho:

MC quadratum, LX quóque duplicatum,  
Orans peribit, & Hufsi, Wiclëffque redibit.

referente Gerardo L. 1. fol. 154. qui mirè de organo isto reformationis ineptit. Tum quia Lutherus vir fuit scientiarum divinarum juxta ac humanarum peritus; eloquens, nobilis Scripturarum Interpres. Sunt etiam nonnulli apud DD. à Walenburch loc. cit. fol. 910. qui Lutheri vocationem tribuunt partim Ordinariam, partim Extraordinariam; argumentis, quæ pro utraque vocatione hætenus attulimus, ad id inducti.

XXVII. Errori huic Doctrina nostra Catholica, quam priori parte attulimus, omnem succum aufert, & cuilibet homini non in sensum reprobum dato clarissimè ostendit, Lutherum & qui post ipsum surrexerunt Sectarum duces, ex illis esse viris, de quibus Dominus DELUS Jeremie 23. v. 21. dicit: *Non mittebam prophetas, & ipsi currabant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*: Ipsemet Lutherus suam de vocatione propriam sententiam decies septies mutavit, ut Doctor Pistorius in Epist. ad Germanos & præcipue ad Austriacos notavit. Et quisquam prudens suæque æternæ salutis debitam habens curam inveniri possit, qui eandem Lutheri vocationem tanquam certam atque à DEO profectam persuaderi sibi sinat? Probationes quàm futiles sint, mox patebit. Itaque

XXVIII. Respondetur. *Primo ad ea, quæ pro Vocatione Lutheri Ordinaria ac Mediatâ afferuntur. Ad Primum.* neque Populum neque Magistratum sæcularem habere potestatem eligendi Sacerdotes: sed ad Episcopos hoc pertinere. Ex plurimis & clarissimis Sac. Scripturæ locis, quos Wagner ait ostendi posse, proferatur vel unicus, in quo ita potestas populo concedatur. Eandem facultatem eligendi Ministros Ecclesiæ, non habet etiam Ministerium; cum A catholici Ministri à nullo vero Episcopo ordinari fuerint. Vocari autem Ministros Lutheranos, Calvinianos &c. ad prædicandum solum prophetica & Apostolicam doctrinam absque additamentis humanarum inventionum, vana est phantasia & prætenso omnium Sectarum; quippe non potest esse pura Apostolica doctrina, quæ SS. Patribus adversatur: nec humanæ & pharisaicæ sunt inventiones, quæ prædicti PP. reliquerunt, aut Magistratus Ecclesiasticus statuit. Ad hæc in plerisque jam locis à solis Principibus Ministri Ecclesiæ eliguntur, & horum autoritate investuntur; vel igitur istorum vocatio est legitima, vel non? si prius. Ergo falsum est, penes populum esse suffragia: si posterius. Ergo omnium istorum officia, consecratio cænæ, & absolutio invalida sunt. Ecce miseriam Evangelicorum omnibus Sacramentis destitutorum, si baptismum excipiamus.

XXIX. *Ad Secundum & Tertium.* Ratione istorum, scilicet Sacerdotij, Doctoratus &c. ostendi quidem, Lutherum ordinariè & legitime vocatum fuisse ad ministerium, quod exercuit in Ecclesia



Ecclēsia Catholica ante suam detestabilem apostasiam: minime verò ad ministerium, quod exercuit in secta sua Lutherana post prædictam apostasiam. Nam tunc cepit impie oppugnare Ecclēsiam Catholicam, in qua ante vixerat: cepit aliter quam ante contueverat, docere: cepit abrogare quæ, jejunia, vota monastica, orationem pro defunctis &c. quæ ante approbaverat: cepit opponere se summo Pontifici, & hunc tanquam Antichristum proclamare, qui antea religiose se subjecerat, & tanquam legitimum Christi in terris vicarium agnoverat. Hæc autem aliæque plura facere non poterat per potestatem, quam accepit in Ecclēsia Catholica: vel in Sacerdotio, quia Episcopus non dedit illi potestatem in destructionem Ecclēsiæ, in qua erat Episcopus: vel in Doctoratu, quia Promotor etiam potestatem solum concessit Theologiam Catholicam docendi, & ad hanc asserendam & unice defendendam juramento adstrinxit, perinde ut hodie Lutherani suos Candidatos Theologiæ Alumnos & Doctores juramento ad confessionem Augustanam & Formulam Concordiæ obligant. Ergo Lutherus vel non habuit talem potestatem oppugnandi Romanam Ecclēsiam, & aliquid ejusdem doctrinæ contrarium prædicandi: vel si habuit, aliunde accepisse debuit. Et à quò? Solvant Sectarij hunc nodum Gordium, cui nec Alexandri gladius sufficientem aciem habebit.

XXX. Ad Quartum. Esse verissimum, cavere quemlibet sibi debere à falsis prophetis, & Lutherum adhuc Catholicum huic etiam mandato subjacuisse. Sed sequitur, tum alium quemvis, tum ipsum Lutherum ex hoc vocari ad tale, & tantum opus reformandæ Ecclēsiæ, hanc oppugnandi, contrarium ei doctrinam inducendi &c. O stolidam phantasiam, & ridendam consequentiam! Sed, inquirunt, non semper opus esse vocatione ad reformationem, sed solum instatu Ecclēsiæ peccato: at verò quando status est perturbatus, vel ob falsam doctrinam, vel gravem persecutionem, ita ut ordinario modo Ministri vocari nequeant, cuilibet licitum esse, prædicandi purum verbum Dei, Sacramenta administrandi, labentem Religionem sustentandi: Hoc vanissimum effugium meritò ipsos Evangelicos percellere ac scandalizare potest, cum apertè ipsi Lutheri repugnet. Tom. 3. Latin. Witt. asserenti: Nullum etiam Evangelicum Prædicatorem immiscere se, & irreperere clam debere ad prædicandum, qui non cum præfatu Præposito Ministri Ecclēsiæ fuerit vocatus; absque vocatione enim nullus Christianus, etsi Sacerdos simile quid attinet &c. Et nunquid perturbatissimo Ecclēsiæ statu dixit Paulus ad hebræos: 5. v. 4. nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Item ad Rom. 10. v. 15. quomodo prædicabunt, nisi mittantur. Rursus 1. ad Corinth. 14. v. 14. mulieres in Ecclēsia taceant. Si dicat lege Charitatis Jacobi 5. v. 19. quemlibet esse obligatum corrigere fratrem suum, errantem catechizare, & ad veram viam reducere &c. verum est; at privatâ instructione, quæ omnes homines decet; non demonstratione publici Ministerij.

XXXI. Respon. Secundò ad ea, quæ pro Extraordinaria Lutheri Vocatione adducuntur. Non exigi iniquè, quod ipse Lutherus ab alijs requisivit. Tom. 2. Witt. Germ. fol. 245. ad Præfectum Wartburgensem ita scribit de Concionatoribus clancularijs vitandis; doceatur populus, interrogare tales &

dicere. Unde venis? quis te misit? quis te concionari iussit? ubi sunt Litteræ? ubi sigillum, te à hominibus missum? ubi miracula testificantia, te à Deo missum? quod clarè indicat Melanchthon in cap. 3. Matth. his verbis: sic postea saepe; quando mundus sece oblivis fuit promissionem & doctrinam Evangelij, tunc vocavit DEUS novos Doctores, & semper addit miracula, ut certò sciamus, à Deo missos. Et hodie omnes fatentur Acatholici, immediatam à Deo vocationem non nisi miraculis stabiliri. Atque hinc factum, cur etiam Lutherus ac Calvinus miracula facere attentarent ad confirmandam doctrinam suam, sed utriusque infelicissimè res cessit, ut refertur in speculo Brandenburgico fol. 208.

XXXII. Ad 1. igitur, si Evangelici ritè probaverint, doctrinam suam esse Apostolicam, instar miraculi id nos accepturos. Sed quando id præstabunt?

*Desinet esse prius contrarius ignibus humor,  
Junctaq, cum Luna lumina Solis erunt.*

Nam recesserunt à Sanctis & antiquis Patribus, per quos Apostolica doctrina ad nos venit, & hactenus absque errore apud nos conservata fuit. De purâ & Apostolicâ doctrinâ multos quidem hucusque Sectariorum clamores audivimus; efficax argumentum nullum audivimus. Non satis est, Scripturas magno numero ingeminare, eam artem omnibus hæreticis communem diabolus quoque caller. Legitimus sensus probandi vim habet, non sola Scripturæ verba; legitimus autem sensus non est, quem quisque sibi cudit, sed quem legitimum semper censuit Ecclēsia, quæ est columna & firmamentum veritatis, & quæ (uti Lutherus ipse scripsit Tom. 7. Germ. Witt. fol. 362.) non potest mentiri, sicut Deus non potest: cum os Dei sit os Ecclēsiæ. Quare cum Lutherani hucusque doctrinam Lutheri esse Apostolicam ex Scripturis non nisi damnato ab Ecclēsia sensu usurpatis probârunt, non aliud probasse censendi sunt, quàm apud Evangelicos esse vanitatem opinionum: apud Catholicos verò veritatem Apostolicam, in quo utique totum est positum, uti dixere Adversarij.

XXXIII. Ad 2. falsum id esse. Nam Christus apud Joannem non solum Apostolis, sed & alijs in ipsum credituris, uti contextus clarissimè docet, promissit: qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora his faciet Joan. 14. v. 12. Quæ promissio cum careat restrictione tam temporis, quàm personarum, neque tamen singulis fidelibus in actu secundo accommodari possit, saltem in aliquibus de Ecclēsia omni tempore locum habeat oportet; quoties par necessitas postulabit. Necessitas autem postulat postremis etiam hisce sæculis, ut quando nova & inaudita sunt, quæ supra naturam credenda proponuntur, novis quoque & supernaturalibus signis atque effectibus credibilia reddantur; præsertim si ab eo proponantur, qui ordinariâ vocatione est destitutus, Apocal. etiam 11. v. 3. & sequent. Deus clarè promissit Ecclēsiæ extremis hujus temporibus potestatem patranda miracula pro verâ fide probanda. Quæ ergo est impudentia dicere, nihil tale esse promissum. De reliquo vera miracula à falsis prophetis fieri non posse, sed tantum præstigias & miraculorum umbras: quomodo etiam hæc falsa miracula à veris discerni possint, ostendimus supra Contr. XXII.



XXXIV. *Ad 3.* Negando ullum verum Vaticanum de extraordinaria vocatione Lutheri extare. Apocal. 13. per neutrum ex duobus Angelis repræsentari Lutherum, nemo nisi cæcus videt. *Non per primum.* Tum quia Angelus ille habuit æternum Evangelium: Lutherus verò novum sibi quæ coævum & statim variè dissipatum. Tum quia Angelus ille docuit timere Deum; hujusque Judicium: Lutherus verò laxavit frænâ timoris Dei, cælum pro solâ fide omnibus pollicens. Tum quia Angelus ille evangelizavit super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: Lutheri verò Evangelium exiguâ orbis partè innovavit. Tum quia Angelus ille dedit honorem Deo: Lutherus verò abstulit, tollendo Sacrificium Missæ, Adorationem Christi in Eucharistia, vora Religiosa &c. *Non per Secundum.* Tum quia Angelus iste descendit de Cælo: Lutherus verò ex inferni faucibus, & ab ipso orci magistro hausit suâ doctrinam, Tum quia Angelus iste habuit potestatem à Deo magnam, à quò fuit missus: Lutherus vocatione legitimâ destitutus nihil habuit potestatis, ac jurisdictionis. Tum quia Angelus iste casum & ruinam Babylonis magnam denunciavit: Lutherus Babylonem, hoc est, Sectarum confusionem mundo importavit. Tum quia Angelus iste terram gloriâ suâ illustravit: Lutherus illustrem Germaniam incredibili maculâ dedecoravit; quapropter Lutherum fuisse Angelum illum Apocalypticum nemo crederet, nisi qui fungum pro cerebro habet.

XXXV. Vaticanum de statu Monachi, cui inscriptum fuerit nomen Lutheri, est fabula Auctore suo digna; fuit iste Theophrastes Paracelsus homo ut malæ vitæ, ita modicæ fidei, utpote familiaris dæmoni mendacij patri. Videri potest Thomas Erastus celeberrimus Medicus ad Calcem Disput. de medicina nova Philippi Paracelsi. Ex dicto Husij nihil contra nos evincitur. Tum quia de hoc vaticinio primum soli Hussitæ: deinde Lutherus & Lutherani illud jactarunt. Tum quia varijs applicari potest; nec exactè ratione temporis Lutheri convenit, Tum quia non difficile est, sic vaticinari, cum oportet, hæreses esse 1. ad Corinth. ii. v. 19. Tum quia si Hussius etiam nominatim Lutherum designasset, quid inde magni honoris, si hæreticus alium hæreticum ex insinuatû dæmonis prænucciasset. Tum quia Lutherus non est cignus, sed spurcissimus porcus. Videri potest speculum veritatis Brandeburgicum, & hujus apologia fol. 306. Ex illo disticho nihil probari 1. cum Gerhardus, qui id refert, nullam mereatur fidem, & libri ejusdem innumeris figmentis scateant. Si etiam concederemus similia vaticinia, non inde sequeretur, Lutherum à Deo vocatum Apostolum fuisse; utique enim de facinorosis etiam atque improbis aliqua futura prædici possunt. An non luculenta vaticinia extant in Scripturâ de Juda proditore; item de Antichristi impietate? an Arius propterea vel hilo fuit melior, quia de ejus furore Erichræa Sybilla tot sæculis ante vaticinata est, ut testatur Constantinus Magnus in Epist. ad Arium. Quid igitur juretur Lutherum, si de ipsius Apostasia & hæresi diu ante prædictiones extitissent?

XXXVI. *Ad 4.* Esto Lutherus ante Apostasiam aliqua habuerit dona, multos tamen Religiosos & alios non tantum habuit pares, sed etiam Superiores, Et quid laudis ex eo, quod ingenio, elo-

quentiâ & alijs, si quæ habuit, donis abusus fuerit ad suam ipsius & plurimorum aliorum perniciem, sicut multi alij præclaris suis talentis abutuntur, quibus in hoc ipse Lucifer prævit, non utique in hoc laudandus. Ex his duabus opinionibus refutatis, apparet etiam tertia abunde rejecta, quæ Lutheri vocationem partim Ordinariam partim Extraordinariam absque alia ratione asserit; ajo *affirmat*; est enim hoc commentum omnibus sæculis inauditum; habuerunt quidem aliqui Prophetæ missionem tum ordinariam, tum extraordinariam, sed utramque perfectam, cum non detur mixta & confusa. Si ergo Lutherus vocationem habuit partim ordinariam, partim extraordinariam, habuit nullam, uti affirmamus, & verissimum est.

XXXVII. *Error secundus.* Sectarij habent veram Ecclesiam, veros Sacerdotes, vera Sacramenta. Ita Lutherani, Calvinistæ & alij pro sua quisque secta. Probat 1. Quia non novam sed antiquam Prophetarum atque Apostolorum habent doctrinam, quæ non potest esse nisi in vera Ecclesia. 2. Non statim destructa est Ecclesia, etiam illi, qui prius in ea dominabantur & Præpositos agebant, in magnis tenebris & idololatria exiterint. 3. Quia si defectu Successionis Sacerdotes Evangelici non essent legitimi, & Sacramenta Cænæ, atque Absolutionis conficere non possent, tunc etiâ Baptismus ab ipsedem collatus non esset legitimus, consequens est falsum, & contra S. Aug. L. 2. contra Epist. Parmen. c. 18. 4. Quia falsum est, Evangelicos Sacerdotes prorsus non descendere ab Apostolis, cum in doctrina his succedant. 5. Quia vocatio Sacerdotalis Zachariæ Luc. 1. fuit legitima, quantumvis à talibus hominibus proveniens, quos Christus latrones & fures nominavit Joan. 10. v. 1. 6. Evangelici Sacerdotes sunt independentes à Lutheri, siquidem iste non fuit Papa Evangelicus. 7. Lutherus ipse Christum & hujus doctrinam ferventer urget, non verò ad suam personam & successionem attendi vult Tom. 2. Germ. fol. 92. probatque solidè, convenire Communitati Christianæ de doctrina judicare, & doctores nominare, cum omnes & singuli Christiani sint *Sanctum ac Regale Sacerdotium* 1. Petri 2. v. 5. 8. denique Lutherus legitimam potestatem Sacerdotis habuit quidem à Papa, sed non quâ tali, sed quâ Episcopo Ecclesiæ.

XXXVIII. Etrosem hunc sufficienter rejecimus parte priorè doctrinâ 4. Tum ex alijs solidis fundamentis. Tum ex verbis notatû dignissimis quæ ex D. Hieronymo attulimus, ubi loco cit. de Hilario Apostata sic pronunciat: 1. Hilarium solum fuisse Diaconum non Episcopum, qui alios diaconos Presbyteros & Episcopos initiare potuerit. 2. Hilarium à Romana Ecclesia, cui addictus erat S. Hieronimus, recessisse. 3. Hilarium ultra omnes sapere sibi visum esse. 4. Hilarium in sua recens erecta Ecclesia nec Episcopum, nec Sacerdotes habuisse. 5. Hilarium ideo nullum reliquisse Episcopum & Sacerdotes, quia ipse, utpote solum Diaconus, consecrare illos non potuit, atq; idcirco visu ab omnibus fuisse exceptum, cum Socios suos nominaret Episcopos. 6. ab Hilario nominatos Episcopos & Sacerdotes nullum Sacramentum facere potuisse. Hæc omnia ad amulsum conveniunt Lutheri, qui 1. fuit solum Sacerdos, non Episcopus potis alios Episcopos ordinare. 2. descendit ex Romana Ecclesia. 3. putavit, Lucem se esse mundi. 4. in Ecclesia sua recens erecta nullos habuit Sacerdotes, Episcopos &c. 5. Ideo in Ecclesia



Ecclesia sua nullos reliquit Episcopos & Sacerdotes, quia ipse, utpote solum Sacerdos, consecrare illos non potuit. 6. denique Lutherus vocavit quidem aliquos ex suis affectis Superintendentes, hoc est, Episcopos & Sacerdotes, sed cum risu fuit exceptus. Quid plura, sicuti S. Hieronymus subiungit, nullam esse Ecclesiam, ubi nulli sunt Sacerdotes, ita & nos dicimus & concludimus apud Lutheranos Calvinianos &c. nullam esse Ecclesiam, quia nulli apud illos sunt Sacerdotes. Et quomodo Ecclesiam Lutheranam aut Calvinianam &c. habeamus pro vera Ecclesia, quæ non nisi quosdam habet prædicantes, & quidem tales; qui jam, dum ad officium prædicandi assumuntur, sunt Ecclesiastici: jam dum ab eodem removentur, iterum sunt sæculares, & tales etiam passim habentur; siquidem characterem nullum, ut loquitur D. Augustin. Sermon. de gestis cum Emerito Donatista Tom. 7. ab ordinatione habent impressum. Unde merito tales jam ante 1400. annos fuit Tertullianus L. de Præscript. c. 41. inquit: *hodie Presbyter, cras Laicus. Nam & Laicus Sacerdotalia munera iunguntur.* Argumenta sunt jam in prioribus maximè ex parte dissoluta. Nihilominus

XXXIX. Respond. Ad 1. miserabilem & ipsi oculis repugnantem probationem esse, Lutheranos non habere novam doctrinam, sed antiquam Prophetarum & Apostolorum. Nihilne novi est, Ecclesiam universalem per tot sæcula usque ad Lutherum errasse, Lutherum verò veritatem attigisse? Nullum ex omnibus Majoribus veram Religionem tenuisse, omnèsque Patres & Theologos hallucinatos fuisse: Soli Luthero radios solis illuxisse? qui proinde Tom. 1. Germ. Jenens. fol. 480. dicere fuit ausus, *neminem scire, qui de fide & operibus rectè judicare poterit, exceptis Apostolis; in cæteris verò libris id nequaquam inveniri.* Quis ex San. & antiquis Patribus, penes quos Apostolica fuit doctrina, asseruit unquam, Justificationem fieri per solam fidem seu Fiduciam? Matrimonium pluris esse æstimandum, quam Virginitatem? Sacrificium Missæ pro idololatria habendum? Vota Religiosa Deo facta non esse servanda? &c. Jactant quidem Sectarij doctrinam Prophetarum & Apostolorum: recedunt autem à viâ, quæ ad illam ducit, nempe à Patribus & Doctoribus faciuntque infelicem saltem à proprio sensu ad Sac. Scripturam absque medio, quod teste Paulo ad Ephes. 4. v. 11. Christus nobis reliquit, nempe interpretationem SS. Patrum & Doctorum, quorum traditionem ab uno ad aliud sæculum continuatam ipsi scenum, stipulas, stramen proclamant.

XL. Ad 2. miserum hoc quoque esse effugium, cum D. Paulus ad Ephes. 4. v. 11. expressè dicat: *Christum dedisse quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in adificationem Corporis Christi, donec occurrant omnes in unitatem fidei & agnitionis Filij DEI in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, quod ante finem mundi implebitur.* Quare eousque permanere debet nunquam interrupta successio Pastorum & Doctorum, qui non solum in nullis existant erroribus, sed alios ab ipsædem immunes servare queant. Et istorum Patrum aperta est doctrina, hæreticos non solum esse extra Ecclesiam, sed omnem etiam perdere potestatem Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Ita Scribit Cyprian, L. 1.

Epist. 6. *dicimus omnes omnino hæreticos atque Schismaticos, nihil habere potestatis ac juris.* Similia habet L. 2. Epist. 1. item Optatus contra Parm. Ambr. L. 1. de Pænit. c. 2. Hieron. contra Luciferianos Augustinus in Enchir. c. 65. &c. Si igitur Rectores Ecclesiæ & Prædicatores ante Lutherum in magis tenebris & Idololatria extiterint, fuerunt utique hæretici & infideles. Ergo Ecclesia tunc neque habuisset veram Fidem, quæ non consistit absque Prædicatorum officio, neque ullam legitimam Administrationem, à qua officia & functiones Ministrorum Ecclesiæ dependent. Quomodo ergo non fuisset destructa?

XLI. Ad 3. Disparitatem esse inter Baptismum & Cænam. Nam Baptismus, licet propriè ad officium Sacerdotis spectet, quia tamen adeo necessarium est Sacramentum ad Beatitudinem, ut in defectu illius obtineri hæc non possit, idcirco omnes etiam alij infideles in absentia Sacerdotis administrare Baptismum possunt, cum tamen aliæ functiones Sacerdotales, ac nominatim consecratio Eucharistiæ non nisi à consecrato Sacerdote legitime peragi possit. S. August. loc. cit. nihil aliud docet, quàm apud Donatistas ad Ecclesiam reversionem eundem extitisse Baptismum atque Ordinationem in Sacerdotibus aut Episcopis, quæ prius fuerat, quam per Schisma ab Ecclesia se separarent. *Utrumque enim Sacramentum est, inquit S. Doctor, & quædam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum oratur, ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari.* Ad 4. Non falsum, sed verissimum esse, Evangelicos Sacerdotes proflus non descendere ab Apostolis, neque in doctrinâ, quam tenent Apostolis contrariam: neque in ordinatione, quam à nullo consecrato Episcopo habent. Ad 5. Exemplum Zachariæ Luc. 1. nobis non adfersari. Nam quamvis Pharisei & alij, quicumque tunc supra Cathedram Moysis sederunt, impij homines fuerint, tamen publicè in Templo & Synagoga veram Fidei doctrinam tradiderunt; quomodo aliàs Christus Matth. 23. v. 2. dixisset: *omnia quæcumque dixerint vobis, facite?* Insuper necessariam Successionem retinuerunt in Summo Pontificatu; alioquin Christus ad eos tanquam legitimos sacerdotes nunquam alios misisset. Demum Zacharias ordinatus est à Judaico Ministerio, non à Secta Phariseorum; aliud quippe erat apud Judæos Sacerdotium Leviticum, aliud Secta Phariseorum; modò Zacharias à fermento Phariseorum immunis extiterit. Joan. 10. Christus non vult in Judaica Ecclesia Rectores nullos fuisse verè fideles usque ad suum adventum, sed notat solum, Judam Galilæum, Theodam ac similes Pseudopphetas; quamvis simul perstringat Phariseos, qui titulum Pastorum sibi arrogabant, in Christum tamen credere, vel ab eo mitti volebant. Videatur Tirinus in citatum locum.

XLII. Ad 6. Negando. Tum quia omnes, qui alicujus Religionis Reformationem profitentur, tam quoad Doctrinam, quàm quoad Ordinationem & Potestatem ad Ministerium dependent à suo Reformatore primo, qui in proposito est Lutherus. Ergo cum iste non habuerit potestatem inducendi talem Reformationem, nec illi habent, cum Magister & Discipulus sint correlativa. Tum quia Sacerdotalis Ordinatio & omnis Ecclesiastica Potestas ad Ministerium Ecclesiæ dependentiam suam habet non solum ab Ordinante, sed



etiam ab ijs omnibus, à quibus ipse Ordinans suam Ordinationem & potestatem accepit. Non potest autem in proposito alius ostendi quàm Lutherus, per quem ista Ordinatio & potestas ab Apostolis in alios Evangelicos Sacerdotes derivatur. Ergo cum Lutherus non fuerit verus Episcopus, non accepit potestatem Episcopalem Ordinandi Sacerdotes & Episcopos. Ergo hanc potestatem ab Apostolis non potuit derivare in alios. Ergo Evangelici Sacerdotes nec sunt independentes à Luthero, nec veri Sacerdotes, urpote à nullo veram & Apostolicam potestatem habente ordinati. Non obstat, Lutherum non fuisse Evangelicum Papam. Artamen fuit Evangelicæ Reformationis Auctor, absque dubio alios Ecclesiæ suæ Ministros ordinans, quos etiam postea in varios locos ablegavit, doctrinâ suâ bene instructos, ut eandem ulterius propagare possent.

XLIII. Ad 7. Lutherum in conscientia sua defectum vocationis suæ probè advertisse, ideòque Christum inclamasse, ejusque doctrinam jactasse, ut sic defectum illum celaret. At non attulit se tum à Deo testimonium Sanctitatis, Miraculorum, Prophetici Spiritûs, sicut Moyses & alij Prophetae, quod tamen in hac gravissima & inaudita Reformatione, qualem nec Moyses nec ullus Propheta unquam attentavit, jure desiderabatur; siquidem nulli Legato fides habetur, nisi per exhibitum testimonium sui Principis dignum se fide probet. Nec credibile apparet, Deum ad talem & tantam reformationem, per quam omnia in Ecclesia susque deque vertuntur, absque vocatione extraordinaria & evidenti demonstratione illum misisse vel adhibuisse. Cæterum supra jam diximus, Communitati sæculari competere potestatem Evangelicos prædicatores ordinandi & constituendi, negari ab omni venerabili Antiquitate, ut bene DD. à Walenburch T. I. fol. 972. dicant, hoc paradoxum esse Conringij, atque huic adstantium. Quamvis enim populus ad Electionem Episcoporum & Ministrorum Ecclesiæ antiquitus fuerit admissus, nunquam tamen habuit potestatem ordinandi & jurisdictionem Spiritualem conferendi. Est autem hæc ordinatio & jurisdictionis non minus, imò plus necessaria ad legitimam vocationem Sacerdotum, quàm ipsa electio. 1. Petri 2. v. 9. non est sermo de propriè dictis Sacerdotibus, ad quos etiam Lutherus singularem vocationem requirit; quamvis hodie Prædicantes apertè doceant, fæminas æque, ac viros Sacerdotes esse ex illo dicto Apoc. 7. v. 10. *fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes & regnabimus super terram*, sed hanc opinionem D. Augustinus meritò turpissimam censet, & Pepuzitos hæreticorum Registro inscribere vult; quod Sacerdotio mulieres quoque honoraverint.

XLIV. Ad 8. hoc prorsus impertinens esse. Nam Lutherus non est ordinatus in Sacerdotem ab ipso Papa, sed ab aliquo particulari Episcopo. Quare nullum omnino Sacerdotium habuit, si istud non habuit à Papâ, qua tali, à quo omnes particulares Episcopi dependent ac proveniunt. Vim & valorem Sacerdotij etiam nos principaliter Christo adscribimus, non Papæ, aut Episcopo; ut proinde Lutherus in sua Reformatione aut reâms Deformatione non solum contra Papam & Episcopum, sed etiam principaliter contra Christum, cujus Ministri Papa & Episcopi sunt, acceptâ potestate abusus fuerit.

XLV. Hastenus de Vocatione Ministrorum Ecclesiæ. Et quæ diximus nominatim sub expresso nomine Lutheri, ea suo modo de Calvino, de Zwinglio, & similibus Sectarum Ducibus intellecta volumus, ut statim ab initio monuimus; etenim quoad hoc eadem ferè omnium est ratio. Finio nunc elegantibus verbis S. Cypriani Episcopi, 27. ad lapsos, ubi paucis indicat ab Episcopis omnes legitime ordinatos suam trahere potestatem, omnes Ecclesiæ actus per Episcopos dirigi debere, Episcopis omnes sæculares quoad jurisdictionem Spiritualem subesse &c. Ita scribit: *Per temporum & successione vices Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesiæ super Episcopos constituantur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernentur.* Cum ergo Navatores Evangelici Lutherani, Calvinistæ, &c. non habeant per legitimam Successionem Episcopos, non habent etiam legitime vocatos Ministros, non Sacerdotes, non Ecclesiam veram Christi, ut ex dictis abunde liquet. Et DEUM Immortalem qualis & quantus est iste defectus! & qualis ac quanta miseria Lutheranorum, ac Calvinistarum & verâ Fide atque Ecclesiâ, & veris Episcopis ac Sacerdotibus carere!

## CONTROVERS. XXXVIII.

### DE COELIBATU SACERDOTUM.

**C**lericis legitime vocatis & in Majoribus Ordinibus constitutis, ut ministerio suo sublimi dignè sancteque fungantur, incumbit Cœlibatus, vi cujus à Matrimonio usu ac carnalibus voluptatibus abstinere se debent. Nec is recens est hodiernæ Ecclesiæ commentum, sed antiquum à tempore Apostolorum status Ecclesiastici & pulcherrimum ornamentum, quo præluere debent, qui in peculiarem Domini sortem & selectam Christi gregem sunt vocati juxta ea, quæ ad initium prioris Controversiæ diximus.

### PARS PRIOR

### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Omnes Clerici Majoribus Ordinibus initiati, hoc est, Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi obhigantur ad perpetuam continentiam non solum à luxuria alioquin prohibita, sed etiam à Matrimonio cæterum licito, ita ut post susceptos Ordines nullam uxorem ducere valeant, & si quam antea duxerint, ejus usu abstinere debeant. Ita semper in Ecclesiâ Catholica à temporibus Apostolorum fuit observatum hucusque. Nam Canon 27. Apostolorum sic habet: *ex ijs, qui Cœlibes facti sunt clerici, jubemus, ut Solus Lectioribus & Cantoribus liceat, si voluerint, uxores ducere.* Idem testatur Concilium Carthagin. 2. Cæn. 2. ubi de Coelibatu statuit: *omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta conferunt, pudicitia Custodes: se etiam ab uxoribus abstinere.*

Et ratio



Et ratio statim subjungitur : ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas. Nos quoque custodiamus ; quod postea plura alia consilia confirmarunt. ut refert Bellarm. L. 1. de Clericis c. 19. & inter illa Wormacense in Germaniâ, cujus Canon. 9. sic decernit : placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi abstineant se à conjugibus, & non generent filios. Idem tradunt Patres apud eundem Bellarm. loco cit. relati, è quibus D. Hieron. L. in Vigilantium circa initium : quid facient, inquit, Orientis Ecclesia ? quid Egypti, & Sedis Apostolica ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continent, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt. Item Epistola 50. ad Pammachium adversus Jovinian. Scribit : Christus Virgo : Virgo Maria utriusque, sexus virginitatem dedicavere : Apostoli vel virgines, vel post nuptias continent. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium æternum pudici. S. August. L. 2. de adulterinis conjugijs c. 20. Solemus, ait, eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur invitati, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino cooperante conducunt.

II. Confirmatur. Ex Apostolo 1. ad Timoth. c. 5. habemus, viduas, quæ ex Ecclesiæ substantia alebantur, receptas non fuisse, nisi continentiam Deo promississent, ut ad cit. locum D. Pauli ostendit Cornelius à Lapide, & hoc verum continentiam votum in istis viduis contra Lutherum & Calvinum eorumque sinistras interpretationes fari textus solidè defendit autoritate S. Augustini aliorumque PP. nixus. Quanto magis credibile, Altaris Ministros, videlicet Sacerdotes ac Levitas, nec receptos, nec ordinatos fuisse, nisi promissâ continentiam, quia hanc planè requirit eorum Officium. Nam inprimis Clericorum est, Sacra mysteria tractare, orationi, meditationi, & studijs jugiter vacare, eleemosinas facere, populum regere, & ad perfectionem Christianam hortari ; ad quæ munia ritè peragenda necessaria est ingens munditia, animi tranquillitas, auctoritas, exemplum vitæ ; Usus verò conjugij, etsi absque peccato fieret, tamen saltem materialem quandam immunditiam adjunctam habet, perinde ac si fordidis manibus accederes. Quapropter Deus in veteri Testamento ad suum colloquium non admisit, nisi prius abstinentes à conjugio. Exod. 3. v. 15. ne appropinquetis uxoris vestris &c. scilicet si mecum loqui velitis, adeo Dominus abhorret ab omni etiâ materiali carnalitate. Et 1. Regum 21. summus Sacerdos noluit concedere Sacros panes propositionis servus Davidis, nisi prius uxoris abstinuissent ; quanto majorem munditiam requirit Sacra Eucharistia. Deinde cura domus & liberorum variè animum distrahit, ut non possit commodè vacare studijs & orationibus. 1. ad Corinth. 7. v. 33. qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi. Ad hæc conjugati dum omnia in liberos congerunt, redditus Ecclesiasticos nimis distrahit, ac sensim eos imminuit ; nec ex iisdem hospitales, ut clericos decet, esse queunt, dum non sibi in Cælo, sed proli in terra copiosè thesaurizant. Non inferas cum Amefio Tom. 2. fol. 121. Ergo omnibus Christianis perpetuò abstinentium à nuptijs, quia omnibus dicitur ad Theosal. 1. c. 5. v. 17. indefinenter orate &c. Disparitas grandis est ; Sacri homines ex proprio munere obligantur strictè ad continuas orationes : Laicis suadet, ut sint frequentes, nullo stricto præcepto tenentur. Non etiam illis

præcipitur, sicuti Parentibus, ut *Theaurizent filijs suis* 2. ad Corinth. 12. v. 14. unde tantæ Eleemosinæ ab his exigere non possunt, sicuti ab illis. Porro conjugatis multum auctoritatis decederet, si communem cum Laicis vitam ducerent, ut comperit tempore Gregorij VII. cum Clerici Germani speretâ lege Cœlibatus uxores duxissent, tanta est secuta eorum contemptio, ut Laici ab illis Sacramenta nolent percipere, sed sibimetipsis ministrare, ut refert Joan. Nâvelerus. Lutherus ipse tomo colloq. mensal. Anno 1571. Francoforti impresso fol. 95. conqueritur, suos Prædicantes propter conjugium omnem auctoritatem apud populum perdidisse. Demum clerici alios ad consilium Castitatis amplectendum incitare non possunt, si ipsimet uxorum commercio uterentur, cum maxima vis ad persuadendum sit bonum exemplum. Possidonius in vita S. Augusti. sic de hoc Scribit c. 26. *Feminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit nec quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit, sed neque Patris sui filia & fratris sui filia, quæ pariter Deo serviebant, quas personas SS. Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt.* Et cur hoc ? Cur S. Præsul adeo à domo sua remotas voluit fœminas etiam non suspectas ? Profectò non aliâ de causâ, quàm ut hoc suo exemplo Castitatem vitæque puritatem magis efficaciusque suaderet.

III. Doctrina secunda. Cœlibatus jure tantum Ecclesiastico annexus est Sacris Ordinibus. Ita Cardinalis Bellarm. de Clericis c. 28. post S. Thomam 2. 2. q. 88. art. 11. & plerisque cæteros Theologos. Probat. Tum quia ex Concilio Ancyrano can. 10. approbato à Leone II. Dist. 2. can. de Clericis, constat potuisse etiam post ordinationem Diaconos olim ducere uxores, si haberent facultatem ab Episcopis. Tum quia D. Gregorius L. 1. Regist. Epist. 42. concessit Subdiaconis Siciliae, ut possent uti uxoris ante ordinationem ductis, licet imposterum prohibuerit, tales ordinari, nisi unâ cum uxoris continentiam voverent. Tum quia à Trid. Sess. 24. can. 9. & SS. Patribus passim hæc lex ac decretum vocatur Ecclesiasticum, Tum quia neque tale præceptum Christi extat : neque rationes illæ, quæ convenientiam hujus legis ostendunt, convincunt, eam continentiam in Sacris Ministris esse absolute necessariam. Utrum autem lex ista Ecclesiastica immediarè adstringat ad servandam continentiam : vel solum mediante voto, non convenit inter Authores. Nam omnia jura, quæ referuntur ex Dist. 28. Et de Clericis conjugatis : item Concilia voti mentionem faciunt, non alicujus obligationis ex lege. S. Greg. cit. dist. 28. c. 1. ait : *nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se castè victurum promiserint.* Et c. 3. eadem Dist. Concilium Tolet. V. dicit : *quando Presbyteri & Diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos professionem facere suo Episcopo, ut castè & pure vivant.* Dist. 32. c. 8. Concilium Carthaginense IV. inquit : *Lectores cum ad annos pubertatis veniunt, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Concilium Arelat. II. can. 2. dicit : *assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in vinculo conjugij constitutum, nisi fuerit promissa conversio.* Neque tamen necessum est, ut expressis verbis votum nuncupetur, cum voluntaria susceptio ordinis, cui scitur annexum voti præceptum, censetur implicitum votum. Hinc aliqui Theologi



Iogi affirmant, Solo voto obligari omnes ad servandam castitatem, qui Sacros ordines susceperunt. Si igitur ordinandus expressè nolle vove- re Castitatem, dicunt isti, si nescivit votum, non teneri illum ad Castitatem: Si verò scivit, & ex malitia vovere noluit, nihilominus teneri ipsum ad servandam Castitatem non quidem ex voto, quod non edidit, sed ex Religione; ne videatur votum contemnere, sicuti juramentum edens sine animo jurandi nihilominus tenetur servare ad tuendum honorem juramenti, ne appareat illud contemnere. Ita Vasq. 3. P. d. 247. c. 7. Verùm cum prædicti planè obligati sint specialiter ad Castitatem, ac Matrimonio contrahendo inhabiles existant. Alij malunt asserere, non solum ex voto, sed etiam ex lege oriri obligationem, ita ut ex utroque capite immediatè sint adstricti ad castitatem servandam. Ita Coninch. de Ord. D. 10. dub. 13. n. 130. Palao Disput. unica, de Ord. punct. 17. n. 5. & alij DD. quorum opinio valde probabilis mihi videtur. Nam ultra obligationem voti omnes Ecclesiasticà lege teneri ad continentiam constat, tum ex varijs capitulis Juris Can. Tum ex consuetudine recepta, quâ omnes Sacris initiati, si conjugati sint, ab uxoribus separantur. Videantur cit. AA. quia decisio hujus dubij ad Controversitas non adeo spectat. Hoc solum ad- jecerim, prædictum votum castitatis semper quidem impedivisse Matrimonium, ne licitè contraheretur: non tamen semper diremisse, ut invalidum foret, donec accessit nova lex Ecclesiæ di- remptiva ante Annos circiter quadringentos tem- pore Calixti II. ut notat Vasquez D. 249. c. 4.

IV. *Doctrina tertia.* Qui ante Ordines Sacros uxorem duxerunt, aut etiam prolem ex ea susceperunt, non excluduntur à Sacris Ordinibus. Ita communiter Catholici, qui tamen has conditiones intervenire volunt. 1. ut uxor illa ante Matrimonium virgo fuerit. 2. ut liberè consentiat in mutationem statûs maritû sui. 3. ut ejus thoro & cohabitatione deinceps absteat. 4. ut ipsa Religionem ingrediatur, aut si admodum adulta sit, votum continentiae nuncupet. Si quis autem in- vitâ conjugæ Sacros ordines susceperet, deberet illi debitum reddere, sed non posset exigere, ut Theologi morales pluribus docent. Bigamos etiam ad Sacros ordines non esse habiles, docet S. Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 2. *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem unius uxoris virum.* Ubi loqui eum de bigamo, seu tali, qui nunquam inijs ne successivè quidem duas nuptias, patet tum ex simili phrasi c. 5. ejusdem Epist. v. 9. ubi de viduis loquens ait: *vidua eligatur non minus sexaginta annorum, qua fuerit unius viri uxor*, hoc est, non plurium successivè, quia nunquam moris fuit, ut una mulier plures simul haberet maritos, tum ex more illius tem- poris, quo Paulus hoc scripsit, quia tunc tam apud Judæos, quàm apud Gentiles & multo magis Christianos unus vir non habebat simul duas uxores. tum ex autoritate Patrum, qui semper hunc locum ita intellexerunt, ut non liceret eum Episcopum vel Diaconum creare, qui duas uxores etiam diversis temporibus habuerit; testi- monia horum fuse adducit Bellarm. L. 1. de Clericis c. 23. Ratio est potest: tum quia sic minor est suspicio incontinentiæ apud Episcopos, tum quia perfectius significatur conjugium Christi cum Ec- clesia unius scilicet cum una. Videatur citatus Author.

V. *Doctrina quarta.* Quemadmodum aliæ leges humanæ pro temporum & locorum varietate sunt mutabiles, ita etiam lex ista Ecclesiastica non ubique nec eodem modo fuit observata uti passim notant Catholici D. D. Nam in Ecclesia Ori- entali tameri quidem Episcopi etiamnum ab omni matrimonio tam contracto, quàm contrahendo abstineant, Sacerdotes tamen contracto antea matrimonio utantur quidem, sed à contrahendo abstinent; neque id Ecclesia Latina damnat, uti patet ex c. olim de clericis conjugatis, & decreto Papæ Stephani III. in Concilio Lateran. refer- tique can. aliter. dist. 31. ubi dicitur: *aliter se ha- bet Ecclesiarum orientalium traditio: aliter hujus Sancta Romana Ecclesie;* Nam illorum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur (hoc est, copulati existunt, ejusque usu fruuntur) istius autem Ecclesiæ sive Occidentalium nullus Sacer- dotum à Subdiacono usque ad Episcopum licen- tiam habet conjugium fortiendi. Sed nec in La- tina Ecclesia semper & ubique, quantum ad omnia, eadem fuit continentiae Clericorum ratio, ut constat ex Conc. Ancyrano, & D. Greg. supra cit. Vi- deri potest Tanner de Sacram. Ordinis. q. 4. dub. 2. uria finem.

VI. *Doctrina quinta.* Majus & gratius DEO bo- num est status cœlibatûs, quàm matrimonij. Ita Catholici. Probatur 1. ex Sac. Script. Isaie 56. v. 5. dicit Dominus: *dabo eis (Eunuchis) in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis; & sibi dabo: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Eunuchos ex PP. interpretatione intellige Spi- rituales cœlibes & virgines, de quibus etiam lo- cutus est Dominus Matth. 19. v. 12. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum* q. d. excelsa hæc est virtus, quam non omnes capiunt: Apostolus 1. ad Corinth. 7. varijs rationibus concludit, *melius esse homini sic esse, scilicet cœli- libem & castam vitam ducere.* Apoc. 14. vidit Joannes in Spiritu supra montem Sion centum quadraginta quatuor millia, de quibus ait v. 4. *hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, hi sequuntur agnum, quocumque jecerit, hi empti sunt primitiæ Deo & Agno & c.* Probatur 2. ex Patri- bus, quos fuse adducunt P. Keller in Patru Cath. Tom. 1. à fol. 671. & alij. Sufficiant hic unus & alter: D. Hieron. ad Pammach. in Apolog. pro Lib. adversus Jovinianum: ita inquit: *nuptias recipimus, ut virginitatem, qua de nuptijs nascitur, prefe- ramus.* Et infra. *Tantum interest inter nuptias & vir- ginitatem, quantum inter non peccare & benefacere; imò ut verius dicam, quantum inter bonum & melius.* Chry- sost. Serm. de virginit. c. II. scribit. *Bonum est con- nubium. Est verò ab eam causam virginitas admirabilis, qua ex eo, quod bonum est, melior exurgit, tantòque melior, quanto remigibus gubernator, quanto est militibus dux prestantior.* Et paulò post. *Virginitas est bonum, id ego quòque fateor; Atqui nuptijs etiam melior, & istud tibi assentior, ac si libet illud adjungam, tantò nuptijs eam prestare, quanto Cælum terra, quanto hominibus Angeli antecellunt, ac si quid aliud audendum est, etiam magis.* Aug. de bono conjug. c. 23. nullo modo, ait, dubi- tandum est, *meliozem esse castitatem continentia quàm castitatem nuptialem, cum tamen utrumque sit bonum.* Probatur 3. Ratione Tum quia virtus virginitatis aut cœlibis continentiae totum hominem con- decorat, illustrat, & Deo consecrat. Tum quia pa- rit heroica opera pietatis aliarumque virtutum, Tum quia exemplo suo sancto plures ad Christi obse-



obsequium trahit. Tum quia suis opibus, servitio, & industriâ, quæ conjugati suæ familiæ impendunt, virgines ac celibes veniantur animas a-  
liquin perituras : & sic carnalem sterilitatem spiritali fecunditate longè felicius compeniant. Insuper hæc & alias rationes SS. Patres apud Ti-  
rinum in locum Isaïæ cit. adducti.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETI-  
CORUM.

VII. **E**rrores geminos hic habent Haeretici. Primus est, Legem Cœlibatûs, quâ Ministri Ecclesiæ in Majoribus constituti uxores ducere prohibentur, esse iniquam, ac prodigiosarum libidinum matrem. Secundus est, statum Cœlibatûs, Viduitatis, & Virginitatis neque nobiliorem esse, neque gratiorè Deo, quàm Conjugij. Incredibile dictu est, quanto impetu Prædicantes in prædictam legem Sacerdotibus latam arietent, quasi Veneris Sacrificuli : & quanto furore statum cœlibatûs, virginitatis, & viduitatis detestentur, Magistros suos Calvinum & Lutherum secuti. Nam quamvis Christus Matth. 19. v. 10. 11. 12. aperitissimè docuerit, voluntariâ continentia professione se adstringere, opus esse regni caelestis meritum, uti cum alijs P. P. S. Hieronymus exponit; Calvinus tamen in harmonia contendit, Christi mentem esse penitus contrariam, scilicet voluisse, dissuadere cœlibatûm; quem reputare virtutem, cenet esse stultam imaginationem : Apostolos autem respondentes Christo, si ita est causa hominis cum uxore, non expedit &c. arguit impiè ingratitude : St. Hieronymum quod virginitatem matrimonio anteposuerit, ait, nimis luculentum perversi ingenij specimen edidisse. Denique cœlibatûm & præteritum legem hujus respectu sacerdotum vocat fascinum Satanae, foveam & laqueum exitiorum. Similia passim habet Luth. L. contra Ambros. Catharinum ajeis : decima facies Antichristi est insignis ille cœlibatûs, & castitatis monastica multitudo; planè angelica facies, sed res diabolica. L. de vita conjugali Scribit : crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plus, quàm præceptum; quod nos non possumus impedire vel prætermittere, & perinde necessarium, ac edere, & bibere, & ventrem purgare, exsperare, dormire &c. Sicut in mea potestate non est, quominus sim mas, ita minime situm est in me, quominus sim sine muliere. Demum, ut plurima omittam; in L. de votis monast. inter alia dicit : Christum nunquam consuluisse virginitatem, sed ab ea potius deservisse : & Apostolum, cum dixit de virginitate præceptum Domini non habeo, consilium autem do &c. voluisse dicere, non consilio, sed absterreo &c. Argumenta Sectarij promiscuè pro utroque errore accumulunt plurima, uti videre est apud Amel. Tom. 2. à fol. 119. Gerhard. L. 2. Partez. à fol. 42. Petrum Molinaum in Neopapatu à fol. 633. Menonem Hanneken in suo Irenico à fol. 173. & alios. Itaque

VIII. Probant primò, ex Sac. Scriptura quæ varijs in locis matrimonium præcipit, aut saltem consulit, ac contrariam opinionem damnat. 1. locus habetur Genes. 1. v. 28. Crescite & multiplicamini. 2. Ibidem c. 2. v. 18. Non est bonum, esse hominem solum. 3. 1. ad Corinth. 7. v. 2. Propter fornicationem unusquisque habeat suam uxorem. 4. Ibidem v. 9.

Melius est nubere quàm uri. 5. 1. ad Timoth. 3. v. 2. oportet Episcopum esse unius uxoris virum. 6. Ibidem. Diaconi sint unius uxoris viri. 7. Ad Hebr. 13. v. 7. Honorabile connubium in omnibus. 8. Daniel. 11. v. 36. ubi inter notas Antichristi ponitur matrimonij prohibitio juxta textum hebraicum : concupiscentiam mulierum non intelliget. 9. 1. Timoth. 4. v. 3. ubi Apostolus vocat doctrinam demoniorum prohibentium nubere. 10. 1. ad Corinth. 9. v. 5. Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicuti & ceteri Apostoli & fratres Domini & Zephas? ubi gratum verbum ad opus vertunt sororem uxorem. 11. Ad Philipp. 4. v. 3. Rogo & te Germane compar; ubi Zwinglius, Erasmus & alij in fæminino converunt Germana conjunx quasi Paulus uxorem suam compellaret. 12. Denique & ultimus locus sumitur ex naturali instinctu & desiderio mulierum à DEO hominibus impresso, cui quis resistere jubeat, aut quis libertatem conjugij à Deo concessam hominibus eripere valeat?

IX. Probant secundo. Testimonijs ex Concilijs, Patribus, & antiquis Canonibus, ne scilicet videantur Adversarij rem affectare novam, sed pro antiqua & in vetustis canonibus stabilita se pugnare. Primum est. canon 6. Apost. qui ita se habet : Episcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem suam prætextu Religionis non abijciet. Secundum. canon 13. Synodi 6. in Trullo, ubi permisso usu matrimonij Sacerdotibus extra tempus ministerij damnatur apertè consuetudo Romanæ Ecclesiæ de voto continentia in ordinatione, & urgetur contra illam canon. 6. Apost. cit. Tertium. Isidorus in can. 3. dist. 23. de Clericis, ubi ait : Castimoniam non violati corporis perpetuò observare studeant, aut certe unius matrimonij vinculo fœderentur. Quartum. canon. 13. dist. 28. ubi sub finem Gratianus ait : sive Presbyter, sive Diaconus, sive Subdiaconus fuerit, appareat quod præfatis ordinibus constituti licetè matrimonio uti possint. Quintum testimonium canon aliter Dist. 31. ubi Stephanus Papa dicit : In Orientali Ecclesia Presbyteros diaconos & Subdiaconos Matrimonio copulari; In Occidentali autem non habere licentiam sortiendi conjugium. Sextum. canon. cum igitur. ex S. August. dist. 35. q. 1. ubi dicitur : Ecclesiam post Apostolica instituta quadam consilio perfectionis addidisse, ut de continentia Clericorum. Septimum. D. Leo Epistolâ 85. aliâ 87. scribit : dicente Apostolo, ut is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse, aut esse constaret, tam severa semper est habita præceptio, ut jam de muliere Sacerdotali eligenda eadem intelligatur servanda conditio, ne alterius viri esset experta conjugium. Octavum. canon 4. in Concilio Gangrensi, qui sic habet : quicumq; discernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante oblationem accipere, anathema sit. Nonum denique testimonium est canon 12. dist. 31. ex Concilio Nicæno desumptus, ubi cum Patres congregati vellent legem Cœlibatûs Sacerdotibus præscribere, S. Paphnutius Episcopus Ægypti virtute & miraculis clarus multaque per fide passus se se interposuit, & illam legem impedivit, sicuti testatur Historia tripartita Calliodori, Socrat. L. 1. hist. c. 8. & Sozomen. L. 1. c. 22.

X. Probant tertio ex Incommòdis, quæ in Augustana Confessione art. 23. plura referuntur. Sed ferè in unum idemque recidunt, difficultatem scilicet hujus legis observandæ. Ut igitur illius verbis loquar. 1. inquit : querela fuit de malis exemplis Sacerdotum, qui se se non continebant, 2. quam ob causam & Pius Papa dixisse fertur, K k fuisse

sha.  
logia  
mica  
XI



fuisse aliquas causas, cur sit ademptum Sacerdotibus conjugium, sed multò majores esse causas, cur reddi debeat, sic scribit Platina. 3. non omnes capiunt verbum hoc. Ergo non omnes ad cœlibatum idonei sunt. 4. constat etiam in Ecclesia veteri; Sacerdotes fuisse maritos: & in Germania primum ante annos 400. Sacerdotes vi coacti sunt. 5. Senescente mundo & naturâ humanâ in præceptis labente, plura serpent in Germania vitia, nisi dispenseretur. 6. videntur Ecclesiæ defuturi Pastores, nisi disciplina laxetur. 7. Multi boni ac pij viri infeliciter luctari cum imbecillitate naturæ suæ, & ad extremum in horribilem desperationem inciderunt. Quid spectat autem hæc nova crudelitas, nisi ut infinita illa scelera in Ecclesia confirmetur, & ut improbi peccent impunitius? 8. Res loquitur ipsa, quantum turpitudinis ac vitiorum pariat pontificia lex pro cœlibatû: nec ullâ humanâ voce potest dici, quantum scelerum ex hoc fonte in Ecclesiam exundaverit. Confirmatur hoc ex epist. quadam S. Udalrici Episcopi ad Nicolaum Papam, in qua refert, ex lege cœlibatû Sacerdotalis tempore Gregorij Magni tot non solum fornicationes & adulteria, sed etiam infantium cædes secutas, ut piscatores ex unica piscina unico tractu 6000. infantium capitum ibi submerforum extraxerint.

XI. Duplex iste Error non est novus, sed jam olim à Vigilantio & Joviniano mundo illatus, & ab Ecclesia damnatus fuit. De priore ait S. Hieronymus: *proh nefas! Episcopos sui sceleris dicit habere consortes; si tamen Episcopi nominandi sint, qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam*: De posteriore scribit Augustinus, *audito ejus dogmate, quasdam virgines DEO consecratas profectè jam ætatis in urbe Roma nupsisse*. Et certè vel ex hoc solo capite sectæ istæ Lutheri & Calvinii meritò displiceant cuilibet prudenti, quod non nisi damnatos jam olim errores ex orco resuscitent. Et quæ gloria Neo-evangelico præconi nasci ex eo potest, quod non nisi Vigilantij & Joviniani gemini Christianorum Epicuri spurcam doctrinam sapiat? Argumenta, ut carnis oblectamentâ, pro quibus excogitata fuere, vilia ac volubilia sunt.

XII. Respond. Primo. *Ad argumenta ex diversis Sac. Scripturæ locis petita*, jam olim Tertullianum. de præscript. cap. 15. rectè scripsisse de hæreticis: *Scripturas obtrudunt, & hæc sua audaciâ statim quosdam movent*; quod in præsentî luculenter apparet. Ne autem ullus hæc illorum audaciâ moveatur, singulis Scripturæ argumentis ordine occurremus. Ad 1. igitur locum Genes. 1. dicimus, nullum hîc esse præceptum, sed tantum benedictionem, & promissionem fecunditatis, si conjugio uti vellent. Confirmatur. Eadem verba dixerat Deus piscibus & avibus vers. 22. *crecite & multiplicamini*, quæ tamen non sunt capaces præcepti. Hæc ergo benedictione virtutem illis indidit prolificandi & similes sibi procreandi. Si etiam daremus, esse præceptum, illud dirigeretur ad hominum genus in communi, non ad singulos in particulari, ideòque singulos non obligaret in particulari; cum multi etiam apud Adversarios, qui uxores ducere nolint, reperiantur. Videri possunt Corn. à Lapide in cit. loc. Script.

XIII. Ad 2. illud pronunciatum Dei Genes. 2. *non est bonum esse hominem solum*, eò tantum tendere, ut per hoc significaretur, ad multiplicationem

generis humani tunc temporis verè necessariam fuisse consortem; quæ necessitas, cum non urgeat hoc tempore, quò Apostolus affirmat, *bonum esse homini, mulierem non tangere*, contra cœlibatum Sacerdotum nihil facit; alias enim illa *centum quadraginta quatuor millia quæ sequuntur agnum, quocumq; serit, quia virgines sunt* Apoc. 14. cit non fuissent homines. Et plurimi Acatholici, qui adhuc cœlibes viuunt, homines non essent.

XIV. Ad 3. Apostolum cit. loco ad Corinth. ex communi Patrum allocutum fuisse Laicos conjugatos, hortans illos, ne temere continentiam voveant, sed suas uxores retineant ad vitandum periculum incontinentiæ: cœlibes verò eundem expresse dehortari à matrimonio v. 27. *solutus es ab uxore, noli querere uxorem*. Ergo non agnovit præceptum Matrimonij. Atque ita ruit Achilles, Lutheri, Melancthonis; Buzeri, Amefij, Gerhardij, Hannekenij & aliorum hæreticorum, qui ex voce distributiva: *unusquisque* volunt etiam Sacerdotes & Monachos omnes debere uxores ducere; videatur Tirin. in cit. loc.

XV. Ad 4. Quando Apostol. 1. ad Corinth. 7. cit dixit: *melius esse nubere, quam uri, ly uri non esse idem quod tantum calere, aut tentari ardore libidinis* (sic enim etiam D. Paulus urebatur, nec tamen propterea nupsit) sed est idem, quod ardere libidine, vel calore libidinis flagrare, atque ab eo vinci succumbendo, vel lædi consentiendo. Itâ Apostolum communiter intelligunt Interpretes & SS. Patres, è quibus author Comment. in Epist. S. Pauli apud Ambros. (quem Adversarij ipsi Ambrosium arbitrantur) in caput 7. 1. ad Corinth. ita scribit: *uri est desiderijs agi & vinci; cum enim voluntas calori carnis consentit, uritur; nam desideria viti & non vinci; illustris viri est & perfecti*. Adhæc Apostolus non agit hîc de hominibus voto abstractis, sed solutis & liberis.

XVI. Ad 5. & 6. Apostolum vel hîc docere Episcopum (eadem suo modo est ratio de Diacono &c.) debere tantum unicam habere uxorem de præsentî, vel in præterito debuisse habere tantum unicam; utrumvis autem dixerint Adversarij, nihil contra nos efficiunt; Nam si primum affirmant, fatemur primis Apostolorum temporibus viros conjugatos sæpe in Episcopos justissimis de causis fuisse assumptos, ita tamen ut ab uxoribus mutuo consensu abstinerent, quod etiam nunc posset fieri, si par foret necessitas. Verum de talibus D. Paulum non agere, certum videtur; neque enim diceret, Episcopum debere esse virum unius uxoris, si hæc uti nunquam liceret. De secundo igitur sermo est, & vult Apostolus, nullum posse assumi in Episcopum, qui plures olim quam unam habuerit uxorem, quo sensu hunc locum D. Pauli universa Ecclesia semper intellexit, quæ idcirco nullum Episcopum poligamum, sine singulari dispensatione ordinavit; hæc tamen lex Episcopalis de una uxore habenda, non censetur à D. Paulo positiva, sed tantum negativa, adeo ut non fuerit præceptum, habere unam uxorem, sed vetitum tantum sit, habere aut successivè habuisse plures. Confirmatur hæc responsio ex eodem Apost. 1. ad Timoth. 5. v. 4. supra cit. ubi excludit ab officio divino viduam, quæ fuerit plurimum virorum uxor.

XVIII. Ad 7. ly in omnibus, ut pro Adversarijs aliquid evincat, debere referri ad personas; quod fieri non potest. Nam sequeretur, quod foret ho-



ret honorabile conjugium inter consanguineos etiam secundi gradus; quippe si conjugium in omnibus omnino personis est honorabile, etiam erit inter quoscunque consanguineos. Cum ergo ad personas referri nequeat, debet significare idem, quod ex omni parte, quasi dicat Apostolus: conjugium est honorabile, sive rationem Sacramenti, sive bonam fidem, sive prolem spectans, hoc est, in omni re conjugali servetur honestas & decencia, nec thoris maritalis ullâ maculâ contaminetur, ut voluit Chrysof. Theophilaſt. & alij.

XIX. Ad 8. textum hebraicum Danielis videri corruptum; Nam Latinus aliter sonat, & erit in concupiscentiis femininarum. Si autem admittatur textus hebraicus, hunc habebit sensum, non intelligit concupiscentiam mulierum, hoc est, crudeliter ager cum mulieribus, deposito omni amore.

XX. Ad 9. Quando Apostolus prohibitionem Connubij vocat doctrinam demoniorum, non loquitur de qualibet prohibitione nuptiarum, sed de prohibitionem Matrimonij tanquam per se mali, non tantum ex obstaculo voti; prius illud olim senserunt Simoniani, Saturniani, Ebionitæ, Martionitæ, Manichæi, & Encratitæ, à quorum doctrina prout absunt Catholicis, à quibus connubia honorantur, ineuntur, & matrimonium inter Sacramenta novæ legis numeratur. Quando igitur Adversarij prohibitionem matrimonij affingunt Catholicis, perinde faciunt, ac si dicerem: Senatus vetat Carnifici, ut non exerceat artem Medicam. Ergo Senatus vetat artem Medicam, cujus sequelæ absurditatem nemo est, qui non palpet; quippe non valet argumentatio à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

XXI. Ad 10. græcam vocem *ἡλικία* tam mulierem significare, quam uxorem, utrumvis legas, nullum erit contra nos. Si enim dixeris, mulierem sororem, clarum est, significare mulieres fideles, quarum liberalitate vel ministerio juvabantur Apostoli in itineribus more Judæorum, ut de Christo legitur Lucæ 8. si verò malis legere mulierem uxorem, nihil aliud evinces, quam quod aliqui Apostoli habuerint uxores, easdemque circumduxerint, ita tamen ut illas tanquam sorores haberent, & continentem vixerint, quod nobis non adversatur. Priorem tamen sensum esse multò probabilior, ostendit communis primitivæ Ecclesiæ sensus, & speciatim Tertullianus ætati Apostolorum vicinus, qui Libro de monogamia ait, Petrum solum invenio maritum. Cum ergo reliquos Apostolos cœlibes esse sentiat, non poterunt circumducere mulieres uxores, sed tantum mulieres Sorores iuxta primam explicationem. Instat Amelius Tom. 2. fol. 125. mulierem non divitem circumducere, non fuisset Ecclesiarum quærere levamen, quod tamen intendit Apostolus ibidem: pauperis non uxoris nullus fuisset usus. Aio hoc posterius aperte esse falsum ex famulorum obsequijs. Porro illæ mulieres pauperes non pecuniâ ministrabant, sed obsequium; vel certe eorum operâ utebantur Apostoli in instruendo sexu femineo apud Gentes, ubi modò plantabatur fides, sicuti præclare ostendit Theophilus Reinaudus in L. de sobriâ alterius sexus frequentatione per homines Sacros cap. 16. excusatione 4. Quod si fuere divites, non est necesse dicere, eas fuisse semper cum Apostolis; ideòque isti aliquan-

do nutriti sunt ab istis sororibus comitantibus, aliâ illis absentibus, à populo, cui prædicabant Evangelium. Urget Molinæus fol. 637. Ecclesia Romana inter Sanctos suos colit Filiam S. Petri ab hoc Petronellam appellatam. Ergo tempore Apostolatûs sui, à quo Nomen istud habuit, eandem genuit. Terribile argumentum, quod puer exploderet. Filia Petri ante Apostolatum nata est, & in Judaismo aliud nomen habuit, quod postea in Christianismo, quando Pater jam erat Apostolus, in Baptismo mutatum fuit in Petronellam.

XXI. Ad 11. textum ad Philipp. omnes Patres Græcos & Latinos exponere pro viro, ut sensus sit, germane sociæ, sive genuine Collega in jugo Evangelicæ prædicationis ferendo mecum per agrum dominicum, quod ipsum concedunt Calvinus & Beza. Et unde quæso uxor Pauli habitasset Philippis in Macedonia? Cæterum Paulum non habuisse uxorem, ipsemet testatur 1. ad Corinth. 7. v. 8. ajens: dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Videri potest Cornel. à Lapide in cit. locum.

XXII. Ad 12. denique argumentum, Deum quidem Naturæ humanæ inlevisse concupiscentiam carnis, sed sub domino rationis, ut dâminari possit per auxilium gratiæ adhibitis legitimis medijs Orationis, mortificationis, custodiæ sensum &c. Unde Genes. 4. v. 7. dicitur: sub re erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Sicuti etiam mulieres conjugatæ sæpe debent refrænare suam concupiscentiam, & usu mariti abstinere v. g. si longius discesserit, si diuturno morbo affligatur, si carcere detineatur, si divortium faciat, aut adulteræ debitum reddere nolit &c. Deinde falsum est, libertatem homini concessam à Deo non posse humanâ lege tolli, Nône Deus communem omnium rerum potestatem hominibus concessit, ut quidlibet cujuslibet esset, & tamen communi hominum sensu facta est divisio, & suum cuique proprium? Nonne multa impedimenta Matrimonij lege humanâ induta sunt, quæ Deus non posuerat? nonne omnes homines liberi nascuntur, & tamen postea servituti subijciuntur?

XXIII. Respondetur Secundo. Ad testimonia ex Concilijs, Patribus, atque antiquis Canonibus de prompta. Legem cœlibatûs ab Apostolis emanasse, & à varijs deinde Concilijs in omnibus fere orbis plagis olim celebratis stabilitam, atque à Patribus laudatam fuisse, supra jam diximus, & etiam eruditè ostendit Valentia Tom. 4. D. 9. q. 5. punct. 5. Luber solum addere alterum in Germania Concilium Aquisgranense primum tempore Ludovici I. cap. 6. ubi sic dicitur de Subdiaconis: placuit Patribus, ut qui Sacra mysteria contrectant, casti & continentem sint ab uxoribus. Unde ante 1000. jam annos Arator in Libro, quem composuit in acta Apostolorum, postquam explicuit, integrum fuisse Sacertotibus veteris Legis uti conjugio, modò tempore vicis suæ abstinere, statim subjunxit:

*Ecclesia nunc Alma Fides sine sine pudicos  
Pontifices jubet esse suos.*

quæ Aratoris carmina refert etiam Sorus E. 7. de Justitia q. 6. a. 2. & possunt jure optimo opponi verbis Mantuani, quæ pro conjugio Sacerdotum assert Gerhard. fol. 74. quanquam Mantuanus solum voluerit veteres aliquos Episcopos habuisse uxores, non tamen illis usos fuisse post Sacram

gha.  
logia  
mica  
XI



ram ordinationem; in quem modum multa alia, quæ obijciuntur, intelligi, & explicari possunt. In specie *Ad 1. in can. 6. Apostol.* præcipi solum, ne prætextu cautelæ seu Religionis Episcopus aut Presbyter, qui ante ordinationem uxorem duxerit, curam uxoris abiciat; quippe debet illam alere, atque ei providere, ut habetur in Concilio Turon. 2. can. 8. quod tamen postea majoris cautelæ gratiâ mutatum est. Itaque iste Canon potius suffragatur nobis; supponit enim rejectionem à thalamo, & solum cavet rejectionem ab alimento. *Ad 2. canones illos Trullanos* non habere Auctoritatem; quia non sunt revera ipsius V. Synodi, quæ nullas candidit Canones, ut patet ex Synodo VII. Actione 4. & 5. sed postea quidam Episcopi convenerunt in Trullo, hoc est, in Palatio sic dicto Justiniani Imperatoris, & sine legitima Concilij auctoritate addiderunt illos canones, ut bene præter alios observavit Franciscus Turrianus L. de Canonibus VI. VII. & VIII. Synodi. Neque etiam prædicti canones ab ullo Pontifice approbati fuerunt, sed reprobandi potius à Sergio Pontifice, qui tunc temporis regebat, uti refert Bedæ L. de Sex ætat: in Justinian. cœtum illum vocans *erraticam Synodum.* *Ad 3. Isidorum* eo loco agere de omnibus Clericis in communi. Itaque quod dicit, *aut unius matrimonij vinculo faderentur*, ad Clericos ordinum minorum referri debet; quod verò ait, *castitatem corporis &c.* ad Clericos ordinum majorum spectat; Nam quod isti perpetuam servare debeant castitatem, expressè idem Isidorus tradit eodem L. 2. c. 5. 8. & 10. *Ad 4. Gratianum* hoc non dixisse ex mente sua, sed per modum objectionis, cui postea respondet, ut patebit legenti.

XXIV. *Ad 5. Ly Matrimonio copulari*, tantundem esse, atque in matrimonio esse & manere copulatos, non illo, quod post ordinationem, sed quod ante istam fuit contractum. Nam in hoc discrimen ponit Stephanus (quem Gratianus non exprimit, quis ille Papa fuerit) inter Orientales & Occidentales, quod in Orientali prius copulati possent dein post Ordinationem in illo matrimonio persistere: non autem in Occidentali. *Ad 6.* hæc verba non esse canonis, sed Gratiani, qui erravit, supponendo fuisse aliquando tempus, cum in Ecclesia nulla esset prohibitio usûs conjugalis, quod falsum esse supra jam diximus. *Ad 7.* in plerisque eodictibus correctioribus non legi de muliere Sacerdotis eligenda: sed de muliere Sacerdotis eligendi, ut scilicet si is, qui eligendus est, habuerit uxorem, ipsa quoque nullum aliud fuerit experta conjugium. Aliàs ipse D. Leo Epist. 84. expressè dicit: *Episcopum ita unius virum esse posse ut tamen ab illa, si ipsam adhuc habet, perpetuò se se contineat.* *Ad 8.* Hoc loco anathema dicitur is, qui ab hujusmodi Presbytero & ejus ministerio abhorrent, quasi matrimonium esset per se malum, etiamsi talis post ordinationem ab usu conjugij prius initi se abstineret; atque hunc sensum esse Concilij, patet ex can. 1. ejusdem. *Ad 9.* denique testimonium, plerisque Doctores Catholicos negare, hanc historiam esse authenticam, ut Franciscum Turrianum, L. de Canon 6. Synodi, Bellarminum, Barcnum, & præter alios Valentiam loco cit. fol. 2148. ubi aliquot rationibus illius falsitatem ostendit, quæ videri apud ipsum possunt. Sed etiamsi vera esset historia, non tamen faveret

hæreticis, quia Sozomenus & Socrates scribunt, addidisse nihilominus Paphnutium, bonum scribendum, ut secundum antiquos canones Nemo post ordinationem ducat uxorem, sed solum usus permittatur uxoris, quæ antea ducta fuerat. Nostri autem Sectarij volut eum post ordinationem uxores duci posse. Quare verosimilius est, si etiam historia permittatur, Paphnutium tantum intercessisse, ne quid Concilium Nicænum gravius statueret in Clericos.

XXV. Respon. *Tertio ad Incommoda ex Augustana Confessione allata.* Argumenta ex his desumpta non esse homine sani cerebri digna sed potius quædam themata & declamationes hæreticis opportunas, licet Molinæus, Amestus & alij illa extollant. Et nunquid status Matrimonialis viduarumque: Item Juvenum utriusque sexus adhuc solutorum parit prodigiosas libidines, esse propterea tollenda lex castitatis tam in solutis, quam in conjugatis? minimè, inquirunt, quia effectus, ut ut prodigiosi, in sæcularibus personis per accidens secuti non debent tribui ipsi legi & statui. Et cur non etiam in Ecclesiasticis? Unde *Ad 1.* publica scelera non eversione aut antiquatione legum, sed pœnis coercenda esse. Ita fecit Paulus 1. ad Corinth. 5. v. 5. neque enim sustulit legem, ne uxorem Patris quicquam habeat, sed patriorem sceleris tradidit satanæ in interitum carnis ut spiritus salvus esset in die Domini nostri JESU Christi. Non obstat, legem illam de uxore Patris esse divinam; legem autem de celibatu Sacerdotum humanam. Quia neque humanæ leges tolli debent propter transgressionem, uti patet ex praxi omnis Republicæ, suffragant Sac. Scriptura ad Rom. 13. v. 4. *Si malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim vindex est in iram ei, qui male egit.* *Ad 2.* Platinam scribere, Pium II. sententias in modum proverbij reliquisse multas, & inter cæteras hanc commemorant, *Sacerdotibus magnâ ratione sublata nuptias; majori restituendas videri.* Quæ verba Confessio Augustana mutat fidè non germanâ; Nam cum dictum sit *magnâ ratione sublata nuptias*, illa reposuit, *fuisse aliquas causas.* Et *majori restituendas*, scribit *multo majores esse causas.* Denique pro restituendas videri ponit absolute *esse causas, cur reddi debeat.* Scilicet mala causa talibus mendaciorum fulcimentis indiget. Deinde, qui ait, videri restituendas Sacerdotibus nuptias, nihil firmiter asserit; quippe multa sæpe nobis majore ratione facienda videntur, quæ se melius expensâ nullo modo facienda censemus. Hoc ipsum usum venit Pio II. cui ante Pontificatum (vero simile enim est, eas sententias antea ab eo adhuc Juvene conscriptas) visum est majore ratione Sacerdotibus nuptias restituendas: postea non item; si enim suprema in sede collocatus in sententia pertitisset, nullo negotio eas postliminò restituere potuisset; quod cum non fecerit, nemini dubium est, quin longè alia mens fuerit Pij II. aliàs *Æneæ Sylvij* dicti.

XXVI. *Ad 3.* Nullos homines ex se esse idoneos ad cœlibatum: ex Dei tamen munere aptos esse omnes; prius sumitur ex cap. 8. Sapientiæ v. 21. *Ei ut scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia scire, cuius esset donum, adij Dominum, & deprecatus sum illum: posterius ex eo, quod non sit abbreviata Manus Domini, nec magis respectu unius, quam alterius. 2. ad Corinth. 9. v. 8. potens autem est Dominus om-*  
nem



nem gratiam abundare facere in vobis. Potest ergo suo munere omnes facere idoneos; cur autem non omnes capiunt verbum hoc? quia non omnibus datur eo, quod à Deo aliò vocentur; vocatis verò ad Clericatum datur; quia Deus in necessarijs non deest, modò velint illud amplecti, & concessis ad hoc auxilijs divinis uti. Ad 4. constare planè oppositum, nempe nunquam in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos. Videatur Bellarminus L. 1. de Cleric. c. 19. cit. ubi etiam refutantur exempla, quæ afferunt Magdenburgicorum centuriæ, & Melancthon; & dum ille ait, in Germania cœlibatium Sacerdotum ante annos primùm 400. introductum, cum sua Confessione mendacij convincitur à Concilio Aquifgranensi supra cit. & ante annos 700. celebrato. Et si ante annos primùm 400. in Arch-Episcopatu Maguntino Sacerdotes vi ad cœlibatium coacti sint, velim referri mihi uxores, quas habuerint Sanctissimi illi Episcopi, & primi Fidei Christianæ Assertores in Germania, Bonifacius, Kilianus, Burchardus, Rupertus, Wilibaldus, Erhardus, Udalricus, Conradus eò umque Successores per annos 800? nominari non poterunt, quia nullas habuerunt. Ergo falsum est, ante annos primùm 400. cœlibatium introductum. Nam tunc cœlibatium non est introductum, sed cum tempore Schismatis, quòd contra Romanos Pontifices excitavit in Germania Henricus IV. (vel ut alij III.) Imperator, multi contra canones rejecto cœlibatu nuptias contraxissent illegitimas, postliminio ille cœlibatus fuit restitutus, & prævaricatores debitas pœnas dederunt. Neque tunc conjugia contra jura & Canones dissoluta sunt, sed sacrilega conjugia contra jura & canones inita juxta canones & jura sublata fuerunt. Videatur Scharten in lib. cujus tit. Carolus M. lib. 2. cap. 2. maxime fol. 344.

XXVII. Ad 5. Mundum senescere: non item gratiam. Humanam Naturam infirmam esse ex se: non iterum ex eo, qui eandem confortat, & in quo omnia potest. Vitia serpent, si severitas (quam in Catholicis reprehendunt Sæctarij) tollatur; ubi hæc veluti optima legum custos locum habet, facile serpenti malo occurrit. Ad 6. Tunc defuturos Pastores, si laxetur disciplina; erunt enim pastores multi; sed semetipfos pascentes. Certè videre est in ijs terris plures idoneos pastores, quibus vel maxime vigent canones: deesse autem, quibus morum licentia leges superat. Taceo superfluum curam Prædicantium, ne status sacerdotum videtur, nisi impuritate conspurcetur; providebit Deus semper Ecclesiæ & Altari, ut casti ad id Sacerdotes introeant. Ad 7. Bonos ac pios viros; qui feliciter luctati cum imbecillitate naturæ, ad extremam coronam Justitiæ cum S. Paulo consecuti sunt, esse innumeros: bonos ac pios viros, qui infeliciter luctati sunt, & demum in horribilem desperationem inciderunt, nullos esse; hoc ipso enim pij ac boni constanter non fuerunt, quòd manus dederint; poterant tamen esse constantes, siquidem nulli à Deo denegatur gratia sufficiens in sua vocatione usque ad finem perseverandi. Et quis prudens dixerit, crudelitate pœnarum scelera confirmari, & puniendò effici, ut improbi peccent impunitionis?

XXIII. Ad 8. Non ex cœlibatu, sed ex abusu præmanare flagitia: neque ex lege, sed ex prævaricatione legis. Lex bona est, sed mala consuperscencia, quæ adversatur legi. Omnium ve-

rò flagitiorum fons est, accusare leges, & vitia defendere, quòd hic faciunt Confessionistæ. Nec juvat illos instantia Græcorum, quam frequenter crepant. Nam aliter se res habet cum istis. Nulli Græco licitum fuit unquam, nec modò est, post susceptum Sacerdotium uxorem ducere. Si verò ante Sacerdotium susceptum uxorem habuissent, postea promissâ mutuo consensu continentia ab uxoribus se continere jubebantur; posterius autem istud non in omnibus orientalibus Ecclesijs semper fuit observatum, sed ubi canones Eccllesiastici sinceri perstiterunt. Non manserunt autem nisi in paucis locis post Synodum Trullanam, adeo ut demum etiam Ecclesia Romana in eam Sacerdotum consuetudinem concesserit, tanquam Orientalibus licitam & concessam, ut videlicet conjugibus ante Ordinem Sacrum ductis licetè etiam uterentur in ipso Sacerdotio, ita tamen ut una mortuâ aliam ducere non possent, ut videre est in capitulo quod situm de penit. & remiss. Indultum autem illud non erat juxta priscos canones, & antiquæ Legis consuetudinem: neque tunc castitatis votum Sacerdotio annexi ab Ecclesia præcipiebatur, sed tantum lege simplici cœlibatus mandabatur, in qua tamen lege Ecclesia adhuc eorum infirmitati condescendens secundum quid dispensabat, ut nimirum ductis ante ordinem uxoribus cohabitare possent: non autem novas ordinibus jam susceptis ducerent, & hoc tantum Græcis: non Latinis Ecclesia concessit. Unde apparet, quòd supra jam diximus, exempla Græcorum Sæctarijs non patrocinari. Quis enim Prædicantium unâ mortuâ non statim aliam sibi Bertham conjugit?

XXIX. Ad Confirmationem dicimus hujus fabulæ falsitatem ipsa inscriptio satis prodit. Quis enim fuit ille Nicolaus Papa, cui inscripta Epistola? juxta Chronologiam debet esse I. vel II. sed sed neuter esse potuit. Non primus; quia mortuus est, antequam S. Udalricus nasceretur. Non secundus; quia S. Udalricus mortuus est, antequam Nicolaus secundus fieret Papa, ut ostendunt Bellarm. Lib. 1. de Clericis c. 22. Baronius tom. 8. Anno Christi 591. &c. Instant hæretici S. Udalricum vixisse sub Nicolao I. cum Aneas Sylvius in Tract. de Germ. & Jacobus de Voragine in vita S. Udalrici dicant, illum mortuum fuisse anno 900. Cum ergo S. Udalricus annis 50. Episcopatum gesserit, & Nicolaus I. Anno 867. obierit, sequitur Udalricum sub Nicolao I. Episcopum fuisse. Accedit Onuphrius Panuinius qui eundem ponit sub Nicolao I. Respon. Jacobum de Voragine Episcopum Genuehem non scripsisse vitam S. Udalrici, sed aliquem Anonymum hanc appendicem ejus libris assuisse, proinde nullius esse authoritatis. Aneas Sylvij postea Pij II. nullus extat liber de Germania, nec in alijsejus libris ulla fit mentio S. Udalrici. Onuphrius Panuinius in suo chronico Ecclesiastico ponit illum sub Nicolao I. utique deceptus hæc fictitiâ epistolâ; nam Juvenis multa coacervavit, quæ maturior emendasset, si vita ipsi prorogata fuisset, ut ait Possevinus in apparatu suo.

XXX. Ex hæcenus dictis liquet, solidissimam esse doctrinam Catholicorum de Cœlibatu: turpissimum verò errorem hæreticorum ruinosis & futilibus nixum fundamentis, atque inde haud obscure apparere, Sæctarios non agere pro Christo, sed pro mulieribus: non pro vitæ honestate,




sed carnis voluptate: non pro doctrina vera, sed libidine effera. Nec hoc mirum alicui videri debet, plerique enim omnes hæresiarchæ ex infano mulierum amore desipere. *Simon Magus hæresin condidit Helena meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antipachenus omnium immunditiarum repertor choros duxit famineos. Marcion Romam præmisit mulierem. Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam & Maximillam auro corrupit, deinde hæresin polluit. Arius ut orbem deciperet, Principis sororem ante decepit. Donatus Lucilia opibus adiutus est. In Hispania Agape Elpidium mulier cæca cæcum duxit. Hunc catalogum D. Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem prætexuit, & huic postea Vigilantium, Helvitium, Iovinianum addidit. Ego eidem jure Lutherum, Calvinum, Zwinglium & omnium nostrâ ætate novarum Sectarum auctores atrox; omnes quippe in eodem Nofocomio decumbunt, & infano mulierum amore languent, cujus mali vim infelix eorum soboles in se transfusam incondito pro uxoribus clamore assidue prædicat. Cum interea Sacra Romano-Catholica Ecclesia in Sacris suis Deoque peculiariter dicatis membris, Clericis scilicet ac Religiosis Castitate vireat, Virginitate floreant, Continentiâ vitæ vigeat, gratissimumque Deo ac Homini bus odorem spiret.*



## CONTROVERS. XXXIX.

### DE RELIGIOSIS, ET IUSTORUM VOTIS.

ristus Jesus Dominus Noster in terris versans duplicis generis documenta hominibus dedit; quædam ex his ad salutem sunt simpliciter necessaria v. g. de vitandis peccatis. deque lege Dei observandâ Matth. 19. v. 17. *si vis ad vitam ingredi serva mandata*: alia non quidem sunt necessaria, sed tamen valde utilia ad perfectionem in terris, & majorem gloriam in cælo consequendam, quæ nulli præcepit, sed verbis & exemplo suasit ac consulvit; & quia perfectio in primis Charitatem, deinde omnes virtutes complectitur, quorum tamen actus non omnes sunt necessarij, idcirco variâ præbuit consilia ad varias perfectiones virtutum pertinentia nominatim verò Matth. 19. tria generalia ostendit, quæ omnium virtutum impedimenta, & omnium vitiorum materiam tollunt; nempe Paupertatem, Castitatem, & Obedientiâ. De paupertate dixit v. 21. *si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. de Castitate v. 12. *sunt enim Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum æternum*; ubi juxta S. S. Patres apud Tirinum non physica & corporalis, sed moralis ac spiritualis castratio intelligitur, quæ corpus non tantum ab illicita luxuria cohibet, sed etiam omnem facultatem aufert per spontaneam voluntatis obligationem. De Obedientiâ vers. 21. *veni, sequere me*, id est, abdicatâ propriâ libertate meo nutui & directioni te trade, ut apertius indicat Matth. 16 v. 24. *qui vult venire post me, abneget semetipsum*. Non negando esse, quod est, sed suo arbitrio profusus renunciando. His Christi consilijs auditis vel lectis multi utriusque sexus perfectionis studio inflammati loquum dederunt eaque accipi-

entes non solum in actu exercito observaverunt, sed ad eadem observandâ votis se obstrinxerunt, ne quando instabilis voluntas à proposito resisteret, atque inde Religiosi vocati fuerunt; quamvis enim à virtute Religionis, quæ Deo debitum cultum ac honorem exhibet, omnes, qui Deum piè Sancteque colunt, Religiosi merito dici queant, attamen per antonomasiam quandam Religiosi in Ecclesia si appellari consueverunt, qui non solum communium ac necessariorum præceptorum observatione, verum etiam per consiliorum acceptationem peculiari vitæ suæ instituto ac nominatim votis Paupertatis Castitatis & Obedientiæ se totos diuino cultui manciparunt.



## PARS PRIOR

### DOCTRINAE CATHOLICORUM.

**I.** **V**otum est *promissio deliberata, & spontanea Deo facta de bono meliore. Defectus ejus libertatis, quæ requiritur ad peccandum mortaliter, valoris voti obstat, caput. veniens. de voto*; quia votum est quædam lex privata, quæ prudenter & deliberatè ferri debet. Dividitur votum in simplex & Solenne; quorum istud ex dispositione Ecclesiæ est perpetuum; & inducit inhabilitatem ad actus quosdam. Institutum autem seu Status Religiosus: est *modus stabilis & ab Ecclesia approbatus vivendi in communi fidelium ad Christiane charitatis perfectionem tendentium, editis tribus votis substantiâlibus, per quæ votens sub alterius jurisdictione & potestate constituitur, adeo ut nec Pontifex facere possit, ut quis sit Religiosus verus, sine prædictis tribus votis Paupertatis Castitatis & Obedientiæ. Argum. Cap. cum eo Monast. de statu Monach. Sufficiunt tamen vota simplicia, ut declaravit Gregorius XIII. in Bulla: Quamdiu fructuosus*; quia solemnitas est juris humani: non item essentia status religiosi. His præmissis facile jam ostendemus, præter præcepta dari consilia, eaque tum univèrsim, tum in specie Paupertatem, Castitatem & Obedientiâ voto promitti posse.

**II.** *Doctrina prima.* Ratio vitæ Religiosæ est sancta, pia, ac laudabilis. Probatur 1. Exemplo sanctissimorum Virorum utriusque Testamenti. In veteri Genes. 4. v. 26. dicitur de Seth: *iste cepit invocare nomen Domini*. intellige peculiari quâdam ratione; etenim modo communi Adam & Abel Deum invocârunt. Utrum autem allata scripturæ verba ad Seth, vel hujus filium Enos referenda sint, parum interest. Enoch quoque singularem cultum Deo detulisse, indicatur ibidem cap. 5. v. 24. istis verbis: *ambulavit cum Deo, & ultra non apparuit, quia tulit eum Deus*. Nazareos peculiaribus votis Deo se obstrinxisse, habetur in Lib. Num. c. 6. & in Libris Reg: commemorantur cætes prophetarum, qui in locis desertis singulari quâdam vitæ severitatè Deo serviebant, inter quos Elias & Elisæus; unde Hieronym. ad Paulinum Monachum sic scribit: *ut ad scripturarum auctoritatem redeamus, noster Princeps est Elias, noster Elisæus, nostri Duces prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus*. Hisce ob peculiarem vitæ rationem jure annumerandi sunt filij Rechab, quorum insignis laus extat apud Jeremiam.



6. 30. & mira de illorum vitæ instituto scribit Joseph L. 18. Antiq. c. 2. Et L. 4. de bello Judaico c. 7. Videri potest Hieron. Platus de Bono status Religiosi L. 2. c. 19. qui status per singularem vitæ ac fœderitatis divini rationem ab antiquis illis Dei famulis non nihil fuit aduimbiatus; Unde eosdem adduxi non quod Monachi & Religiosi fuerint, sed quod peculiarem vitæ rationem agendo Monachorum ac Religiosorum umbræ extiterint, & istorum imaginem quandam expresserint. In Novo Testam. illustri exemplo eminenti Apostoli: Nam apud Matth. c. 19. peccillari studio perfectionis præter observantiam communem mandatorum ad omnes pertinentem se Christo servire constituisse, palam illis verbis D. Petri v. 27. profiterentur: *Ece nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Unde magno consensu Patres apud Bellarm. L. 2. de Monachis c. 5. asseverant, institutum Religiosorum esse plane Apostolicum, Certè Auctor illius status est Christus, qui ut diximus, Suadens Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam non solum doctrinaliter, sed etiam potestativè instituit prædictum statum Religiosorum, quatenus Ecclesiæ facultatem tribuit acceptandi traditionem Fidelium suo nomine.

III. Probat 2. Idem vitæ Religiosæ institutum ex Ecclesiæ testimonio, quæ in multis conciliis illud tanquam pium, Sanctum, ad laudabile commendavit, & novissimè in Tridentino Sess. 25. c. 1. de reform. Unde post Patriarchas illos, Prophetas & Apostolos statim ab initio nascenti Ecclesiæ Sanctissimi homines viri ac Mulieres Monasticam vitam coluerunt, & vetustissimi Scriptores magna eam laude extulerunt. Inter quos nominatim Philo Judæus in L. de vita contemplativa supplicium id est Monachorum disertè refert, quam Sanctè fuerint à D. Marcò in Alexandria instituta Monasteria Sacrarum Virginum & Virorum, qui Continentiam, Paupertatem, Jejunia ac Placidiam profiterentur. Loqui autem Philonem de Christianis Monachis, testantur Epiphanius hæres. 29. & Hieronymus in Philone. Probat 3. ratio. Si sunt aliqua bona ac sancta opera supererogationis præter ea, quæ sunt à Deo præcepta, dubitari non potest, quin pium ac laudabile sit, eorum operum studium peculiari vitæ genere profiteri; cur enim bonum non sit, id profiteri, quod reverà bonum est? Atqui sunt omnino aliqua hujusmodi opera supererogationis v. g. Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ &c. Ergo pium ac laudabile est institutum hominum Religiosorum, qui eadem opera profitentur. Minor vel ex hoc satis constat, quod nec suavi Dei providentiæ ac bonitati, nec infirmitati nostræ conveniat, ad omnia, quæ modò sub consilio sunt, præceptis nos adstringi; quis enim non innumeris peccatis foret obnoxius? Præstat igitur quædam libertati relinquere, ut qui ea fecerunt, inquit Nazianzenus Orat. 1. in Julianum, honorarentur: qui autem minus ea expleverunt, nihil inde mali pertimescerent. Hinc eruditè Aug. L. de S. Virginit. c. 30. qui potestis, inquit, capere, capite, tollite hostias quisq; suas, & introite in atria Domini, non ex necessitate, sed potestatem habentes vestra voluntatis, neque enim, sicut non machaberis, non occides, ita dici potest, non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur, si fiant ista, laudantur: nisi fiant ista, damnantur; illis Dominus debitum imperat: in his autem, si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet nobis. Eo-

dem profus modo inter præcepta & consilia distinguunt passim alij PP.

IV. Doctrina secunda. Possunt piè ac laudabiliter vota emitti divini cultus causâ tum à Christianis univirsim, tum nominatim à Religiosis. Ita omnes Catholici. Prob. 1. ex Sac. scriptura, quæ in omnibus Justis vota laudat. Prov. 15. v. 9. *vota justorum placabilia.* Et præsertim in Christianis apud Isaïam c. 19. v. 21. *colent eum in hostijs & muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent;* quo loco sermonem esse, de tempore novi testamenti communiter volunt interpretes. Generatim quoque eadem S. Pagina jubet impleri vota, à quocunq; fuerint emissa Psal. 75. v. 12. *vovete & reddite Domino Deo vestro.* Et Ecclesiast. 5. vers. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stultia promissio.* Probat 2. ex SS. Patribus qui passim in Christianis quoque vota prædicant, & vim habere obligandi testantur, ut Cyrillus, Hieronymus, Theodoret. & alij Interpretes Isaïæ. Sufficiat nobis D. Augustin. in Psal. 75. ubi explicans illud: *vovete & reddite,* hortatur fideles ad vovendum, his verbis: *quisquis, quod potest, voveat & reddat, non sita pigri ad vovendum, non enim vestris viribus implebitis.* Et rursus in Psal. 132. *debet esse, inquit, impiger animus, ut & voveat, & reddat, ne cum se minus idoneum reputet ad reddendum, piger sit ad vovendum.* Probat 3. Ratione. Tum quia omnè, quod est ex natura sua actus virtutis, licet Christianis facere ad honorem & gloriam Dei; siquidem omnis actus virtutis est per se idoneus ad colendum Deum, ut patet ex D. Augustin. L. 10. de Civit. Dei c. 6. ubi idcirco *omne opus bonum vocat beneficium.* Sed vorum est ex natura sua actus Virtutis, puta Religionis eedens in honorem & gloriam Dei &c. Tum quia licitum est Christianis firmare voluntatem suam in eo, quod ad spirituales ipsorum utilitatem est conducibile. Atqui per vota firmant voluntatem suam invariabilem in executione alicujus actus virtutis in laudem & gloriam Dei. Ergo &c. Huc respexisse videtur D. August. Epist. 45. ubi de obligatione voti agens scribit: *felix necessitas, quæ in meliora compellit.*

V. Doctrina Tertia. Paupertas Obedientia & Castitas rectè etiam voventur à Religiosis. Ita omnes Catholici. Probat 1. Tum ex Sac. Scriptura, ex qua recens ostendimus, piè Sanctèque Deo voveri, quod per se bonum ac pium est: bonum quoque ac pium esse studium paupertatis, castitatis ac obedientiæ. Tum exemplo illorum, qui ob hujusmodi vota in Sac. Scriptura Novi Testamenti summa cum laude commemorantur. In primis Apostoli, alijque ex primis Christianis, ipsa ante omnes B. Virgo Maria, cujus votum de virginitate servanda non obscure colligitur ex illis ejusdem verbis Luc. 1. v. 24. *quomodo fiet istud, quomodo virum non cognosco,* id est, non potum cognoscere, ut ostendunt D. August. L. de virginit. c. 4. alijque Patres. Tum ex antiquissimo usu Fidelium, quem rectissimum fuisse constat ex testimonio & traditione Veterum, è quibus Dionysius c. 6. cœlestis Hierarch. affirmat, *Monachos coram sacerdote posito intente promittere ac renunciare omnibus divisibilibus,* hoc est, caducis omnibus, cujusmodi sunt opes, voluptates, usus voluntatis propriæ &c. Origines hom. 11. in Levit. hortatur omnes, ut renuncient omnibus mundo & ejus concupiscentijs.

gna  
logia  
mica  
XT



scientijs, & se totos devoteant Deo tanquam primogeniti-  
 1a. Hieron. epist. ad Heliodor. asserit, Monachos  
 facere pollicitationem sequenda perfectionis, quam non  
 liceat infringere. Demum D. Augustinus in Psal. 75.  
 & 132. scribit, optime facere Monachos, quod vitam  
 suam devoteant Deo. Tum denique ex ratione; quia  
 hujusmodi vota Castitatis Paupertatis Obedien-  
 tie &c. tollunt omnes radices vitiorum perfecti-  
 oni obstantium, quæ oriuntur ex triplici concu-  
 piscencia juxta D. Joan. 1. c. 2. v. 15. *Omne quod est  
 in mundo, concupiscencia carnis est, & concupiscencia  
 Oculorum, & superbia vita.* Nam omne peccatum  
 committitur tum ex appetitu alicujus boni terrestrijs,  
 quod est triplex; nimirum Voluptas carnalis,  
 quæ per concupiscenciam carnis significatur: vel  
 Lucrû, quod per concupiscenciam oculorû innuitur:  
 vel Honor & æstimatio, quæ per superbiam vitæ  
 designatur: tum ex fuga contrariorum malorum; nem-  
 pe doloris & afflictionis carnalis: vel jacturæ  
 honorum temporalium: vel despectûs & con-  
 temptûs hominum. Hæc omnia motiva & inci-  
 tamenta peccatorum tolluntur per prædicta bo-  
 na supererogationis; quippe Paupertas aufert  
 cupidinem lucris temporalis, Castitas tol-  
 lit desiderium voluptatis carnalis, Obedientia  
 extirpat superbiam vitæ, sponte subijciendo se al-  
 terius imperio. Quomodo ergo eadem vota non  
 piè Sanctè ac laudabiliter eduntur, cum perfectio-  
 nem tantopere adjuvent ac promoveant.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETI-  
 CORUM.

VI. **M**agni Antonij effatum est apud D. A-  
 thanasium in ipsius vita: *Diabolum  
 omnes quidem Christianos odisse, sed probos Monachos Chri-  
 stique virgines tolerare nullo modo posse.* Ab hoc suo  
 infernali Magistro hæretici instigati Monachos  
 ac Religiosos singularèrque ipsorum vivendi rati-  
 onem semper cane pejus ac angue oderunt, adeo  
 ut nulli unquam hæretici extirerint, qui vel no-  
 men Monachorum patienter audire possent. Con-  
 tra triplicem nostram doctrinam pluribus falsi-  
 monijs potius, quàm argumentis insurgunt, ut  
 videre est apud Joan. Gerhardi L. 2. P. 2. à fol.  
 216. Guiljelm. Amef. Tom. 2. L. 4. à fol. 137. Pe-  
 trum Molinæum in Neopap. à fol. 638. Menonem  
 Hanneken in Irenico à fol. 220. & alios.

*Error primus est.* Nullum posse esse statum Reli-  
 gionis alium à statu gratiæ, qui convenit omni-  
 bus Fidelibus. Ita Lutherani & Calvinistæ apud  
 Amef. & Gerhard aliòsque citatos. Probant 1.  
 Religio nusquam in Sac. Script. denotat statum.  
 2. Exempla Enoch, Nazaræorum, & aliorum in  
 veteri testamento nihil adumbrant sublimioris  
 cultûs, quàm erat Religio vulgi. 3. In primitiva  
 Ecclesia omnes erant Doctores aut Auditores. Ad  
 Gal. 6. v. 6. ad Hebr. 13. v. 7. 4. PP. Hieronymi  
 in vita Paulæ. Ruffinus Lib. 1. Hist. Eccles. cap. 8.  
 Cassianus Collatione 18. c. 5, Thomas 2. 2. q.  
 187. &c. testantur, Paulum & Antonium primos  
 fuisse Monachos. Quomodo ergo institutum. Re-  
 ligiosorum est Apostolicum? 5. Si Monachi ac Re-  
 ligiosi occupantur in operibus supererogationis  
 non tendunt ad perfectionem, sed sunt Religiosis

perfectiores. 6. Omnia, quæ facimus, sunt præ-  
 cepta. Ergo nulla dantur Consilia perfectionis.  
 Antecedens ostendunt ex Deuteron. 6. v. 15. *Dili-  
 ges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* Ergo om-  
 nes virtutes in charitate exercendæ. Ex Luc. 14. v.  
 33. *qui non renunciat omnibus &c.* Ergo cum ex præ-  
 cepto debeamus esse Discipuli Christi, Paupertas  
 est præcepta. Ex Lucæ 17. v. 10. *si feceritis omnia  
 quæ præcepta sunt &c.* Ergo nihil ultra debitum faci-  
 mus. Ex 1. Joan. 3. v. 16. *Nos debemus animas pro  
 fratribus ponere; quæ summa est perfectio & non  
 libera.* Ex Matth. 15. v. 45. *jubemur esse perfecti.*  
 Ergo perfectio non est consilij. Ex D. Paulo ad  
 Philipp. 4. v. 8. *quacumq; sunt vera, quacumque sunt  
 honesta, hæc cogitate, hæc facite.* Ergo nihil superest consi-  
 lij. 7. Præcepta non possumus servare. Ergo multo  
 minus altiora consilia. Antecedens iterum o-  
 stendunt ex præcepto diligendi ex toto corde &c.  
 quod August. L. de Spiritu & Littera c. 5. & Bern-  
 ardus Serm. 5. in Cantica ajunt, *in hac vita impleri  
 non posse,* & innuit David Psalm. 142. cantans: *non  
 justificabitur in conspectu tuo omnis vivens,* ac suppo-  
 nit Christus Matth. 6. in Orat. Dominica: *di-  
 mitte nobis debita nostra &c.* 8. Ij, qui in peculiare  
 istas Religiones concedunt, discensionem ab Ec-  
 clesia & commutii fidelium vivendi ratione faci-  
 unt, jurèque Schismatici censentur. 9. Religioso-  
 rum conventicula vitiorum sunt stabula; juxta  
 illud: *vise monasterium, si vis cognoscere luxum.*

VII. Contra hunc errorem sunt unanimiter  
 antiquissimi Ecclesiæ Patres: qui fusè adducti à  
 Verweis in Speculo veræ Ecclesiæ fol. 499. con-  
 silia Evangelica à præceptis diligentissime distan-  
 gunt, & hanc distinctionem in primitiva & Apo-  
 stolica Ecclesia fuisse agnitam attestantes miris  
 laudibus peculiare istas Religiones, & divini  
 cultûs Instituta extollunt, ut illa non nisi rabidi  
 canes mendacis ac calumnijs suis allatrare pos-  
 sint, quales fuerunt Waldenses, qui, ut refert Al-  
 phonsus à Castro in Lib. contra hæres. dicebant,  
*Religiones Mendicantium esse malorum demonum inven-  
 tum.* Item Lutherus & Calvinus, quorum ille in  
 L. de Votis Monasticis; cupio, inquit, *eradicata ex-  
 tincta & abolita esse universa Monasteria, quæ utinam  
 Deus igne & sulphure caelesti ad exemplum Sodome &  
 Gomorrhæ demergat:* iste L. 4. Instit. c. 13. nihil-  
 mitius contra peculiare Religiones debachatur.  
 Quibus ex omnibus SS. Patribus unum opono  
 Climacum antiquum & gravem Authorem, qui  
 Gradu 4. tum multa alia in laudem Statûs Re-  
 ligiosi, tum istud breve quidem verbis, re autem  
 multa complectens elogium habet. *Monasterium est  
 quoddam calum terrenum.*

VIII. Pro Solutione eorum, quæ objecta fue-  
 runt, advertendum ex Card. Bellarmino L. 2. de  
 Monach. c. 2. diversos esse Perfectionis ac Char-  
 tatis gradus. *Primus est, diligere Deum, quan-  
 tum est diligibilis, hoc est, amore infinito; & sic  
 solus Deus est perfectus: Angeli verò & Beati  
 omnes sunt imperfecti non privativè, sed negati-  
 tivè. Secundus est, diligere Deum, quantum po-  
 test cum creatura diligere, ita ut semper actu per  
 intellectum & voluntatem feratur in Deum; in  
 hoc gradu sunt soli Beati. Tertius, Diligere Deum,  
 quantum potest creatura mortalis, quæ à se re-  
 movit omnia divinae charitatis impedimenta, to-  
 tamque se divino servitio addixit; & hi sunt  
 quidem imperfecti in comparatione Beatorum,  
 perfecti tamen respectu aliorum etiam Justorum.*  
 Et de



Et de hoc gradu loquuntur Theologi, cum dicunt, statum Episcoporum esse perfectionis acquiratæ: Religiosorum verò esse perfectionis acquiratæ; Illi enim vi sui status & professionis tenentur aspirare ad perfectionem, removendo impedimenta, & virtutes exercendo: Illi verò supponuntur jam illum perfectionis gradum attingisse. Quartus & infimus gradus est, diligere Deum, ut nihil æque ac magis, quam Deum amemus; atque hic gradus est omnibus præceptus, & habet quidem aliquam perfectionem, at respectu priorum est valde imperfectus. Hoc notato.

IX. Respond. ad 1. objectionem sufficere rem ipsam contineri in Sac. Scriptura, quidquid sit de sola voce. Ad 2. Scripturam Sacram de Seth, Nazaraeis, & alijs in veteri Testamento sumpsisse nos cum Bellarm. Lib. 2. cit. c. 5. juxta Patrum explicationem, & rationem hujus adjecisse; id quod non inficiantur, qui eosdem locos nonnihil aliter interpretantur. Ad 3. Nihil inde contra nos, quia tam ex Doctoribus quam Auditoribus possunt aliqui esse in peculiari vitæ genere. Ad 4. Patres loqui de Religiosis ac Monachis quoad vitam ac substantiam, non quoad cæremonias, quibus postea stabiliri & Ornari ceperunt; in quem modum S. Thomam explicat Cajetanum in cit. locum: Item non fuisse Monachos ante Paulum & Antonium quoad talem frequentiam & nominis vitæque celebratam, quod aperte tradit D. Athan. in vita S. Antonij scribens: *nec dum autem tam crebra in Agypto erant monasteria &c.* ubi etiam refert, Antonium à diversis Monachis diversas didicisse virtutes. Ad 5. patere ex gradu tertio diversæ charitatis & perfectionis, de quo paulò ante. Ad 6. negando antecedens. Non ostenditur hoc ex Deuter. 6. quia non præcipitur, ut Deum diligamus secundum omnes possibiles charitatis gradus, sed tantum, ut amor Dei nihil anteponamus, vel æquemus, ita enim explicarunt omnes Ecclesiæ Catholice PP. ac DD. Non ex Luca 14. quia Christus duas habuit Scholas, & duplices discipulos, quosdam tantum docebat viam Salutis: alios etiam viam perfectionis, & de his loquitur, quando exigit omnimodam paupertatem. Non ex eodem c. 17. quia Christus non dixit simpliciter, *cum feceritis omnia*, sed limitatè, *quæ præcepta sunt vobis*. Nihil ergo vetat, quin aliquis consilia sequens dicat, se plus debito fecisse. Non ex 1. Ioan. 3. quia intelligendum in casu necessitatis, cum spirituali eorum saluti succurri aliter non potest; extra hunc casum consilij est, non præcepti. Non ex Matth. 5. quia illa verba Christi *estote perfecti*, sunt consulentis, non præipientis. Non denique ostenditur ex Apostolo ad Philipp. 4. quia ejus præceptum est negativum, hoc sensu, si quid agere vel loqui velitis, nihil facite, nisi honestum.

X. Ad 2. negando Antec. Non ostenditur hoc iterum ex S. August. & Bernardo, qui loquuntur de secundo gradu charitatis, qui non præcipitur, sed solum quartus ex communi & literali sensu, ut nihil contrarium Deo diligant, qui sanè gradus à nobis præitari potest. Non itidem ex David. Psal. 145. aut Christo Matth. 6. quia non arguunt impossibilitatem observandi omnia Dei mandata, sed tantum negligentiam hominum, quod vix ullus adeo gravis sit in eorum observatione, quin saltem venialiter aliquando delinquat. Ad 3. Schisma non fieri distinctione loco-

rum, sed animorum, & charitatis ac unionis scissione, quam unionem in Ecclesia ardentè Zelantè Religiosi: hæretici verò maximè desertione fidei rumpunt. Ad 9. denique nullum in Ecclesia Dei esse statum, in quo mali non sint mixti bonis; ipsum etiam Dei agrum inter triticum sua habuisse Zizania; an idcirco ager iste non exercendus, aut ullus status damnandus? Esto igitur in aliqua monasteria irrepperint vitia; omnia tamen aut pleraque in vitiorum stabula degenerasse, a-pertissima est calumnia hæreticorum, hostiumque Religionum & Monasteriorum, qualem hoste jure dixeris Fridericum Anobardum Imperatorem, qui cum sexies in Italiam contra Summos Pontifices expeditionem fecerit, quid mirum, quod Religiones ac Monasteria Sedi Apostolicæ addicissima infectatus, tale de ijs scoma sparserit; ex quo Religiosis plus honoris, quam vituperij emerisset; quippe *malis displicuisse, semper laudi fuit datum bonis.*

XI. Error secundus. est Petri Martyris Lib. de Cœlib. & votis. Monastic. universim vota reprobantis. Prævit in hoc Luther in lib. de captiv. Babilonica, ubi persuadere contendit, *omnia vota tollenda esse.* Et Lib. de vita Conjug. longè turpissimè contra Votum Castitatis debachatur. Calvinus etiam L. 4. Instit. c. 13. §. 9. damnat antiquitatem superstitionis ob frequentia vota. v. g. abstinentiæ vini, Peregrinationis &c. ut exprimit §. 7. Probat Martyr suam opinionem. Tum quia nulla vota in Novo Testamento commendantur: in Veteri verò fuerunt cæremoniæ nunc abolitæ. Tum quia omnis cultus Dei voluntarius est superstitiosus. Tum quia obligatio voti pugnat cum libertate Christiana. Tum quia temerarium est, exponere se periculo peccandi per obligationem voti.

XII. Errorem hunc impium satis supra doctrinâ 2. rejecimus. Vota temere facta non probat Ecclesia, ut illam immeritò calumniantur Sectarij. Eadem etiam reprobant vota de re inutili, vana, indifferente, vel impossibili, aut majus bonum impediens, & cum Ecclesiæ cap. 5. v. 3. appellat non tam votum, quam stultam promissionem, quæ displicet Deo. Respond. ad 1. objectionem. Negando Antecedens, cujus oppositum constat ex dictis in priore parte hujus Controversiæ. Quam autem ineptum sit commentum, vota in veteri Testamento idem fuisse ac cæremonias, patet. tum quia cæremoniæ fuerunt in veteri testamento præceptæ: vota autem libera Deut. 23. v. 22. *si nolueris polliceri absque peccato eris.* tum quia cæremoniæ illius legis fuerunt actus externi, : vota verò solâ etiam mente Deo nuncupari potuerunt. tum quia nullus ex omnibus PP. illius mentionem facit. Ad 2. Negando. Nonne David olim alijsque jurarunt, tametsi cultus ille Dei, qui in invocatione divini testimonij continetur, nusquam esset præceptus. D. Paulus ad Coloss. 2. differit contra voluntarium cultum rei inanis, vanæ, & absque ratione Religionis causâ assumptum v. g. abstinentiæ à quibusdam cibis, tanquam naturâ suâ immundis. Unde nihil facit adversus nostram doctrinam. Ad 3. libertatem à Christo nobis partam non esse qualemcunque, sed à servitute peccati, quæ augetur potius, quam minuatur per obligationem voti; Siquidem per istam accedente Dei gratiâ firmamur ad serviendum Justitiæ. Unde præclare S. August. Epist. 45. ad Armenarium scripsit: *non est gratulanda libertas, quâ sit,*



ut non debeatur; quod cum lucro reddatur. Et infra: Non te, inquit, vorisse peniteat, imò gaude, jam non tibi sic licere, quod cum tuo detrimento licuisset, felix necessitas, quæ in meliora compellit. Ad 4. Obligationem voti ex se firmare voluntatem in bono; periculum autem peccandi circa materiam voti, quod ex accidenti ob conditionem humanæ libertatis imminere putatur, non debet sapientem detertere à voto faciendò; quippe potest cum eadem libertate & gratia divina, quæ præstò est, illud non difficulter superare; aliàs etiam Deus non debuisset dare præcepta; cum etiam ista homo pro sua libertate transgredi possit, & semper aliquale periculum hujus transgressionis præceptum secum apporet.

XIII. Error tertius est, vota specialia Monachorum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ non esse admittenda, utpote ridicula, temeraria, stolta, impia. Ita Lutherani apud Gerhard. in Confess. loc. cit. fol. 296. & Menonem Hanneken in Ireneico à fol. 226. ubi synopsis affert ex Tom. 5. Lutheri contra hæc vota. Calvinistæ apud Molinæum à fol. 641. Amesum contra Bellarminum loco itidem cit. fol. 179. &c. Probant. Primò universim. Tum quia nullum in Scripturis mandatum habetur de triplici illo votorum Monasticorum genere. De Christo dictum: *hunc audite* Matth. 17. v. 5. Et ipse de se testatur, *quod sit lux mundi, quam, qui sequitur, non ambulat in tenebris.* Joan. 8. v. 12. ac *quod sit via* Joan. 14. v. 6. De Apostolo dicitur: *quod omne consilium Dei auditoribus suis annuntiaverit* Act. 20. v. 27. At de votis Monasticis nihil quidem vel Christus vel Apostoli præceperunt. Tum quia Vota Monastica omnium causarum respectu à tramite Verbi divini aberrant, & ratione, voventis sunt frequenter indeliberata; ratione materiæ injusta; ratione formæ temeraria; ratione objecti impia; ratione finis superstitiosa. Probant deinde speciatim de singulis. De paupertate. Tum quia mendicitatem Scriptura non commendat, sed potius prohibet: Deuter. 15. v. 4. Psal. 36. v. 25. Prov. 20. v. 8. labor verò præcipitur 2. Thes. sal. 3. v. 10. Tum quia *beatius est dare, quam accipere.* Actor. 20. v. 35. Ergo mendicitas non est perfectio melior opum copiâ, & juxta Philosophum, opes sunt necessariæ ad felicitatem seu beatitudinem. Tum quia Monachi mendicando alijs hominibus permolesti sunt, veris pauperibus eleemosinas subtrahunt, & se fingunt pauperes, cum magnas opes habeant. Tum quia tentant Deum, negligendo ordinaria media victus parandi, & extraordinariâ Dei providentiâ cupiunt sustentari. Tum quia abijciendo suas facultates à parentibus vel aliunde habitas occasionem eleemosinæ alijs dandæ sibi subtrahunt. De Obedientia. Tum quia vovere est sponte se facere servum Prælati, sed hoc vetat Apostolus 1. ad Corinth. 7. v. 23. cum ait: *Prelio empri estis nolite fieri servi hominum.* Ergo non licitum est votum obedientiæ. Tum quia Monachi spontè sibi eligunt superiores: & interim Ordinarijs Episcopis obedire nolunt. Tum quia superiores Religiosi non sunt infallibiles, sed in fide & moribus errare possunt, & ideo temere illis vovetur omnimoda obedientia. Tū quia unufque in animo suo plenè certus sit ad Rom. 14. v. 5. Sed qui ex cæca illa obedientia religiosâ aliquid facit, non potest in animo suo esse certus cum nullæ partes judicandi, sed tantum parendi sint ipsi relictæ. De Continentia satis actum su-

pra Controvers. XXXVIII. ubi Adversariorum objectiones contra cœlibatum & castitatem Clericorum proposuimus & solvimus.

XIV. Error hunc Ecclesia in duobus Concilijs expressè damnavit. Primum fuit Romanum à Joanne XXII. coactum. Alterum Constantiense, in quo Sess. VI. Wicleffi Religiosorum & votorum Monasticorum hostis memoria fuit anathematizata, ac corpus ejus atque ossa exhumiari, & procul ab Ecclesiæ finibus projici viffa sunt. In multis alijs Concilijs ac nominatim in Trid. Sess. 25. c. cit. Religiosa vitæ institutum, ac votorum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ obstantia multum commendatur; quod idem copiosè faciunt SS. Patres, qui Religiosos homines hisce votorum vinculis oneratos *nobiliorum Ecclesiæ portionem, selectiorum partem, illustriorem Ecclesiæ germinis florem* appellant, alijsque præclarissimis encomijs extollunt, ut videre est apud Platum de bono Statûs Religiosi Lib. 1. c. 11. Quæ à Sacerditijs objecta fuerunt, ita futilia, falsa, ac impia sunt, ut non refutationem, sed solum detestationem mereantur. Nihilominus ut eorum absurditas magis omnibus innotescat.

XV. Respond. 1. ad Objectionem 1. contra Monasticam vitam universim. Negando illud stolidum Adversariorum principium: Deo nullum esse exhibendum cultum, qui ab eo præceptus non sit; aut omnem Dei cultum voluntarium (qui scilicet à Deo præceptus non sit, sicuti in qui præcepta vota) esse superstitiosum, aut idololatricum. Ex quo loco Sac. Scripturæ hoc ostendunt? Nonne David, ut supra jam dixi, alijsque jurarunt: ubi iste cultus Dei, qui in invocatione divini testimonij continetur, est præceptus? Loca ex Sac. Scriptura adducta nihil prorsus faciunt ad rem, agunt enim de fide ac præceptis divinis, in quibus Christum audire ac sequi debemus: & de ijs, quæ Apostoli annuntiârunt nobis; hæc autem non negliguntur, sed exactius observantur à Religiosis, dum isti præter illa præcepta etiam concilia sequuntur, quæ Christus & Apostoli non quidem præceperunt, artamen suaserunt, ut supra jam ostendimus. Ad 2. Negamus vota Monastica à tramite Verbi Dei aberrare; nec hujus ulla affertur probatio, sed mera mendacia & hæreticæ calumniæ; negamus eadem esse frequenter indeliberata, injusta, temeraria, impia ac superstitiosa; sed illa ipsa vota monastica esse pia, laudabilia, Sancta, maximo auctoritatis ac rationis pondere supra probavimus, & firmavimus; quod argumentum nostrum tam improbis criminationibus & levibus cavillis non enervatur. Eisdem hæreticis cavillationibus & calumniis postquam Molinaus loc. cit. effudit in eos, qui vota Religiosa v.g. castitatis edunt, perinde ipsos facere ait, ac ægrum, qui vovet nunquam deinceps ægrotare. Negatur stolidissima paritas; cum istud in potestate ægri non sit, sicuti tamen in hominum est potestate castitas per gratiam divinam observanda; aliàs nec Christus nec Paulus illam hominibus suafissent, & cum promissione cæli ad eandem invitassent; siquidem nullus homo prudens suaderet alteri, ut mare exhauriat, ut montem tollat, ut in cælum evolet, cum hæc impossibilia sint. Inde D. Augustinus Lib. de Grat. & Lib. Arb. c. 4. bene scripsit: *Nunguid non liberum Arbitrium Timothei est? Exhortatur Apostolus dicens: contine teipsum; & in hac re potestatem volum-*



patu ostendit, ubi ait, non habens necessitatem, potestatem autem habens sua voluntatis, ut servet virginem suam. Et tamen non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est; quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent, quod volunt; quibus autem datum est, sic volunt, ut implent, quod volunt. Itaque ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & DEI donum est, & liberum arbitrium. Unde clarissime apparet, hominem optionem & libertatem habere statum castitatis vel matrimonij apprehendendi, & consequenter gratiam, virtutemque DEI servandi castitatem; siquidem aliquis in ijs rebus, quas impossibiles novit, nec optionem nec libertatem habet, nec etiam, si sana est mentis, illas intendit atque appetit.

XVI. Respond. 2. In specie ad 1. Objectionem contra votum Paupertatis. Allato textui ex Deuteron. 15. v. 14. mendicus non erit inter vos, opponitur in eodem capite verbum 11. non deerunt mendici in terra tua. Pro his conciliandis advertendum, DEUM Judæis promississe magnam rerum abundantiam, si ejus præcepta servarent, & ideo voluisse, ut conarentur, ne quis ex ipsis mendicare cogere- tur; quia verò ipsum perficere hujus conatus non erar in potestate singulorum, maxime imminutâ DEI benedictione ob præceptorum transgressionem; ideo adjectum v. 11. non deerunt mendici in terra tua. Prius solum, nempe conatus fuit præceptus, non ipsum perficere seu consecutio finis, ut bene interpretatur Tirinus ajens, hoc ex Versione LXX. Interpretum patere; præceptum autem illud & promissio temporalis abundantiae pertinuit tantum ad veterem Legem, & in novâ Lege similes promissiones fuerunt commutatae in benedictionem spiritualem. Unde mendicitas Religiosorum magnæ gratiæ ferax non repugnat legi divinæ Novi Testamenti, sed ei valde est consentanea. Psal. 36. & Prov. 30. sermo est de paupertate involuntaria, quæ sine dubio non est optimi consilij mater; talis autem non est paupertas Religiosorum. Apostolus ad Thessalon. loquitur de hominibus prorsus otiosis, quales non sunt Religiosi partim Spiritualibus exercitijs, partim studijs, partim labore manuum occupati. Ad 2. Actor. 20. Axioma istud: beatius est dare, quam accipere, licet ex variâ ratione verissimum sit, ut videre est apud Tirinum in cit. loc. non tamen procedere primò in divinis, ubi tam nobile est accipere, quam dare divinitatem, ut notat S. August. secundò in injurijs, quas accipere beatius est, quam dare. Tertio cæteris paribus, beatius esse dare omnia sua simul propter Christum, & accipere postea aliquid modicum, quam parùm dare, & nihil accipere: similiter beatius esse accipere temporalia, ut possis expedite & commodè dare spiritualia, quam nihil accipiendo impediri à spiritualibus dandis, ut bene Bellarm. L. 2. de Monachis c. 46. Aristoteles loquitur de homine politico, qui uxorem, & Rempubl. & liberos cum alijs habere velit: Secus est de felicitate Christiana, cui in hac vita sufficit modica corporis sustentatio.

XVII. Ad 3. Mendicitatis molestiam abundè compensari cœlesti mercede misericordibus promissa: nec ideo minùs dari alijs pauperibus; etenim qui in Religiosis se liberales exhibent, à Deo benedictionem consequuntur, ut etiam alijs largiri valeant juxta illud 2. ad Corinth. 9. v. 8. potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere

in vobis ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Taceo illos quibus de victu quotidiano per stabiles reditus prospectum est, non consueisse mendicare. Ad 4. Quomodo Religiosi Deum tentant, dum faciunt, quod ipse suavit, & amore illius omnia bona abijciunt, ac certam spem retinentes vi promissionis Christi de centuplo confidenter dicunt: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Psal. 22. v. 1? Ad 5. Religiosos, licet dare non possint grandes elemosynas corporales, dare tamen spirituales, quæ sunt multò præstantiores, scilicet concionando, confessiones audiendo, sacrificando &c. Ex his ajunt Theologi Morales elemosynam esse dandam potius Religioso minùs egenti, quam non Religioso magis egenti, tum quod Religiosus præter alios titulos omnia sua jam dederit pauperibus; inde enim deberetur ei victus è bonis pauperum, quasi ex justitia. tum quod elemosyna fit danda meliori; cum autem judicare non possumus de internis, danda est potius proficenti majorem Sanctitatem, nisi constet de mala vita hujus Religiosi; excipitur tamen extrema necessitas, in qua prius succurrendum illam patienti, etiam si melior se offerat.

XVIII. Respon. 3. Idem in specie ad objectionem 1. contra votum Obedientiæ. Apostolum 1. Corinth. 7. monere tantum illam servitutem cavendam, quæ à divino servitio abstrahit, cujusmodi non est servitus Religiosa. Negari etiam potest Major. Nam Religiosi per votum Obedientiæ se faciunt servos Dei, non hominis; cum electus Prælatus solum sit internuncius & Vicarius Dei voluntatem indicans, quamdiu præcipit secundum regulam ordinis, & res præcepta absque peccato fieri à subdito potest juxta illud Luc. 10. v. 16. qui vos audit, me audit. Multum etiam differt Regimen Politicum, & multo magis Religiosum à despótico herili; quippe istud est in bonum Gubernantis: illud verò in bonum Subditi. Non obstat, Religiosos in jure passim comparari servis: item ex doctrinâ Suarez. Tom. 4. de Relig. Tract. ult. posse Prælatum præcipiendo uti potestate & jurisdictionis & proprietatis. Nam Religiosus ideo servus comparatur, quia neutri sibi aliquid acquirunt: potestas etiam illa Prælatorum non nisi Vicaria est. Ad 2. Religiosos aliquos ideo per summum Pontificem ab Episcoporum jurisdictione esse exemptos, quod Episcopi sæculares eorum instituta non calleant, adeoque non bene moderari illos valeant absque spiritualis quietis perturbatione, quæ quies in Religionibus quaritur. Ad 3. Religiosos non vovere omnimodam obedientiam in omnibus omnino rebus, sed tantum in rebus justis; unde si quid aperte iniquum alicui præciperetur, non teneretur obedire; in dubijs tamen judicio superioris stare debent; qui si forte moraliter erraret, illis non imputaretur ad peccatum ob ignorantiam invincibilem; quippe non tenentur jussa superiorum examinare. Ad 4. constare ex recens dictis; Nam cæca obedientia non tam crasse & stupide cæca est, sicuti sibi imaginatur Gerhardus fol. 316. quasi omne prorsus lumen excluderet, & non adverteretur, an justum Deoque conforme, aut iniquum vel repugnans Deo sit, quod mandatur: sed dicitur cæca, quia obediens in omnibus omnino rebus, in quibus aperte peccatum non apparet, promptissime suâ se libertate abdicat, & alterius voluntati humillime



millimè se subdit, nec suæ electioni ac placito quidquam vult esse permillum. Hinc apud Religiosos cæcè (sive simpliciter) obediendo magna oritur delectatio; qui enim seipsum ita exuit, non manet vacuus, sed DEO & cœlestibus hujus delictijs plenus.

CONTROVERS. XL.

DE PURGATORIO.



**B** Ecclesia Militante progredimur ad Purgantem, quam constituunt Animæ illæ, quæ ex hac vita nullius quidem peccati mortalis consciæ: at venialis culpæ maculâ inquinatæ aut pænæ solvendæ debito gravatæ discesserunt; atque idcirco nec Beatitudine adhuc potiuntur: neque tamen etiam inferni supplicijs afficiuntur, sed adhuc à gloriâ cœlesti differuntur, dum sive per ignem, sive quamcunque aliam pænâ ab inquinamento illo purgantur, & in felicem illum Beatorum numerum admittunt æternâ Dei visione fruuntur. Est autem celebris hæc Controversia de Purgatorio propter modernos hæreticos, qui licet post Lutherum parentem suum in varias sectas sint divisi, omnes tamen in hoc conveniunt; ut Purgatorium tol-

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**I.** *Doctrina prima.* Datur Purgatorium, hoc est, Locus, ubi Animæ, quæ in hac vita pœnas suorum peccatorum etiam remissorum non solverunt, aliquamdiu puniuntur. Ita omnes Catholici, & definitur in Trid. Sess. 6. can. 30. *Si quis post acceptam Justificationis gratiam cuilibet peccatori penitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvenda, vel in hoc saculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus pateat, Anathema sit.* Et quamvis hic Articulus fidei sub nomine Purgatorij in Sac. Scriptura non exprimitur, tamen adeo clarè indicatur, ut adhibito discursu rationis infallibiliter inde colligi possit. Probat igitur 1. ex ipsis Verbis Apostoli 1. ad Corinth. 3. v. 15. *si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Unde sic argumentamur: Si post hanc vitam datur ignis, in quo Justii puniuntur, antequam in cœlum admittantur, datur Purgatorium. Sed verum est Antecedens. Ergo & Consequens. Major per se patet. Nam hæc est definitio Purgatorij. Minor probatur ex citatis verbis Apostoli; loquitur enim de statu alterius vitæ, ut constat ex antecedentibus, ubi loquebatur de die Domini, in quo manifesta sunt opera hominum, quod accidet in judicio universali, vel particulari post hanc vitam futuro, & ait fore per ignem, per quem liqui salvandi transire debent, non sine detrimento & afflictione. Adductum locum Sac. Scri-

pturæ pro Purgatorio accipiunt SS. Patres Ambrosius serm. 2. super Psal. 128. Hieronymus super 4. cap. Amos, & alibi. Greg. lib. 4. dial. c. 29. D. Augustinus in Psal. 37. fusè & clarè, atque alij apud Bellarm. L. 1. de Purg. c. 6. Ut autem vis hujus argumenti meliùs perspiciatur, totum locum Apostoli adduco, qui v. 10. sic se habet: *Ut sapiens architectus fundamentum posuit; alius autem superadificat; unusquisque autem quomodo superadificet, videat; si quis autem superadificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fenum, stipulam, unusquisque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & unusquisque opus, quale sit, ignis probabit, si cuius opus manserit, quod superadificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

**II.** Declarationem istorum verborum, & Architectonicæ allegoriæ ex statu rerum, qui tunc fuit Corinthi, dant Doctores in hunc modum. Cum S. Paulus post factum Corinthi Ecclesiæ ac Fidei Catholicæ fundamentum aliò discessisset, opercepto perficiendo alij successerunt; è quibus aliqui simplici sermone utiliter superstruxerunt; alij vanæ laudis cupidi politiore dictione non ita fructuose docuerunt; unde ortum dissidium inter Corinthios, & pro suo quisque affectu his vel illis adhæsit. Hoc resciscens Apostolus ad tollendum dissidium Epheso epistolam scripsit Corinthum diversa Doctorem studia per similitudinem architecturæ declarans; nempe quod factum ab ipso fundamento illi superstruxerint materiam solidam auri, argenti &c. isti verò fragilem ligni, fœni &c. Christus autem in die judicij ambos sit exactè examinaturus; priores quidem ad remunerationem; posteriores verò ad temporalem ignis punitionem in purgatorio ob levem vanæ laudis culpam. Non dicant Adversarij, S. Paulum loqui de extremo judicio, adeoque locum istum non pertinere ad purgatorium. Nam ante Judicis adventum ignis aliquot diebus præcedet, & elementa ac cœlos exiret, teste S. Petro episc. 2. c. 3. v. 12. quo incendio multi etiam homines adhuc vivi consumuntur, & statim particulare judicium sustinebunt, ac in purgatorio puniuntur ante publicum judicis adventum. Hinc apparet, Apostolum nomen ignis variè accepisse 1. pro vero igne Christum Judicem antecedente juxta Davidis psal. 96. v. 3. prædictionem. 2. Metaphoricè pro exactissimo Judicis examine. 3. Speciem pro genère, hoc est, pro omni pœna & supplicio, atque ideo dixisse aliquos *salvandos quasi per ignem*, siquidem in purgatorio non solum cruciantur igne, sed varijs pœnis.

**III.** Probat 2. Purgatorium ex verbis Christi Matth. 5. v. 25. *Esto consentiens Adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te Adversarius Judicis, & Judex tradat te Ministros, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem;* quasi diceret: sicut homines prudentes, quando cum aliquo vicino habent contraversiam, student rem amicabili compositione transigere, ne in judicium inducantur, & ibi secundum rigorem juris procedatur, ita vos studete, lites cum proximo amicè componere, dum estis in hac via, ne ad Dei tribunal citati severissimè mulctemini, donec ad obulum satisfaciatis. Unde sic argumentamur. Si datur aliquis carcer post hanc vitam, in quo peccatores detinentur, donec



donec pro reatu pænæ ad unguem satisfaciatur, tunc datur purgatorium. Atqui verum est antecedens. Ergo &c. Major constat ex definitione Purgatorii, qui est locus pænalis, sed temporalis. Minor patet ex cit. verbis Christi. Hunc locum pro Purgatorio sumpserunt Origines Hom. 35. super Lucam. D. Cyprian. L. 4. Epist. 2. S. Ambr. super cap. 12. Lucæ: S. Hieron. super cap. 5. Matth. ubi ait: *Hoc est, quod dicit, non egredieris de carcere, dum etiam minuta peccata persolvās. Videri potest Bellarm. loco cit. & Tirin. ad prædictum textum, ubi ait, Turrianum & plures alios velle, tunc exhaustum fuisse à Christo totum Purgatorium.*

IV. Probat 3. ex verbis Christi Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Unde sic argumentamur, si aliqua peccata in futuro seculo primum remittuntur, tunc datur Purgatorium, id est, locus pænæ post hanc vitam laudandæ. Sed verum est Antecedens. Ergo & consequens. Major probatur, quia remissio culparum post hanc vitam non est gratuita sine omni supplicio, cum nec in hac vita (ubi est tempus gratiæ) sic remitti soleant peccata, ut constat exemplo Moysis Num. 27. n. 13. & Davidis 2. Reg. 12. v. 13. quanto minus in altera vita, ubi est tempus Justitiæ, ubi redditur unicuique secundum opera sua, & nihil condonatur. 2. ad Corinth. 5. v. 10. Ergo post hanc vitam debet esse aliquis locus, ubi puniuntur, quod vocatur Purgatorium. Minor probatur ex cit. verbis Christi, quibus indicat, aliqua peccata in futuro seculo remitti, alioquin nihil esset singulare in peccatis contra Spiritum Sanctum, si nullum omnino peccatum in futuro seculo remitteretur. Tunc autem mortalia non amplius remittuntur, sed tantum venialia per contritionem, quam animæ justæ in ipso puncto mortis eliciunt, remanente tamen reatu pænæ in purgatorio solvendæ; qui verò in statu peccati mortalis moriuntur, neque de venialibus dolent, neque eorum veniam unquam obtinent. Quapropter etiam venialia eorum in inferno perpetuo puniri existimat S. Thom. 1. 2. Q. 87. a. 7. ad 3. & plures cum eo ex isto fundamento; quod veniale tam diu puniri meretur, quamdiu existit. Sed veniale damnatorum perpetuo existit, quoad culpam. Ergo meretur perpetuo puniri. Sed Scorus Bellarm. Coninch. Ariaga & alij plures Theologi mitius, ac probabilius censent, etiam in inferno pænæ venialium finiri, tamen si culpa remaneat. Nam involuntaria permanentia peccati, quod amplius deleri nequit, non meretur permanentem pænā. Adhæc damnatorum nova peccata, quæ perpetuo committunt Deum blasphemando, juxta communem Theologorum sententiam nullo supplicio mulstantur. Cur ergo sola complacencia in pristino peccato continui puniatur? In hunc sensum prædicta verba Christi intelligunt S. August. L. 21. de Civit. c. 24. ajens non veraciter diceretur, quod eis non remittatur neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent quibus remitteretur in futuro. S. Gregor. M. L. 4. Dial. c. 39. venerabilis Beda super c. 3. S. Bernard. Serm. 66. super Cant. &c.

V. Probat 4. ex secundo Lib Machab. ubi Judas Machabæus in conspectu cum hoste aliquam cladem passus toti exercitui contributionem indixit Hierosolymam mittendam, ut pro animabus intersectorum sacrificia offerrentur,

quod his verbis narratur c. 12. v. 43. *Et facta collatione duodecim millia trachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans ( nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis ) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optatam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur. Unde sic argumentamur. Si bonum est pro mortuis orare, ut à peccatis solvantur, tum datur purgatorium; sed verum est Antecedens; Ergo & Consequens. Minor constat ex cit. verbis Sac. Scripturæ. Major probatur, quia si omnes animæ defunctorum essent in Cælo, vel in Inferno, tum vanum esset pro illis orare; quia Beati non habent peccata; à quibus solvantur; damnari verò non possunt amplius liberari. Ergo datur tertius locus medius inter cælum & infernum, ubi rei pro suis peccatis aliquantum torquentur, quod est ipsum Purgatorium. Hoc argumentum, quia valde torquet hæreticos, ideo omnibus modis laborant, ut liberos Machabæorum è canone Scripturæ expungant, quorum argumenta supra Cont. 4. J. 45. dissolvimus. Nunc demus hos Machabæorum libros, non esse Canonicos, saltem ea ipsi fides adhibenda est, quæ Livio, Plinio, Plutarcho, & alijs historicis fide dignis adhibetur. Unde clarum erit, ante 1700. annos apud supremos Hebræorum & totum populum Judaicum pro re certissima fuisse creditum; Sancte & salubriter pro defunctis orari.*

VI. Prob. 5. Autoritate S. S. Apostolorum, qui semper in Missa soliti sunt pro defunctis orare, ut constat ex antiquissimis Liturgijs, seu Missalibus S. Petri, S. Jacobi, S. Matthæi, S. Marci, quæ adhuc extant. Accedunt Conciliorum & Patrum testimonia, quæ late adducit Bellarm. de Purgatorio L. 1. c. 5. & 6. Sufficiat nobis S. Augustinus, qui in L. de cura pro mortuis c. 1. sic scribit: *In Machabæorum Libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium, sed etsi nunquam legeretur in veteribus Scripturis, non parva tamen universa Ecclesia, quæ in hac consuetudine viget, est Auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum etiam suum habet commendatio mortuorum.* Et cap. 4. ibidem: *non sunt præmittendæ supplicationes pro Spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica Societate defunctis suscepit Ecclesia.*

VII. Probat 6. ultimo tot Apparitionibus Animarum suffragia postulantium; & ijs impetratis pro sua liberatione gratias agentium, ut multi digni fide Scriptores testantur, quos omnes mendacij arguere magnæ temeritatis & impudentiæ fuerit. Placet ex omnibus unam afferre. Narratur in veteribus Annalibus à Pitæo editis apud Baron. Anno Christi 874. Ludovicum I. Imperatorem post triginta annos ab obitu apparuisse Filio suo Ludovico II. eumque sic latino sermone affatum fuisse: *Adjuro te per Dominum nostrum Jesum Christum, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando habere possim vitam æternam.* Mox Filium ad cuncta Regni sui Monasteria epistolæ destinasse, obnixè rogando, ut pro anima Patris sui S. S. Sacrificijs ac precibus suis apud Deum intervenirent. De his apparitionibus dicunt hæretici, non esse Animas hominum, sed dæmones illudentes. Non negaverim, diabolus subinde assumptâ specie animarum hominibus



imponere, ut testantur Chrysoſt. hom. 2. de Lazaro. Et S. Auguſt. l. de cura pro mortuis c. 13. Et Lib. de Anima & Spiritu dubitat, utrum ipſæ animæ, an Angeli eorum loco appareant. Attamen apparitio dæmonis non præſumenda, niſi effectus id ſuadeat. Credibilius eſt, SS. Angelos pro animabus in purgatorio ſubinde apparere; conſtat enim ex historijs, aliquos apparuiſſe loco Sanctorum, v. g. in Specie S. Antonij, ut tradit Nigronus Tract. de otio. remed. 3. Et loco S. Marcelli Martyris, ut refert Baron. Tom. 9. Anno 828. Ipſius quoque DEI perſonam Angelos in veteri Teſtamento quaſi in Comœdia repræſentaſſe, ex S. Literis conſtat. Nam Exod. 20. v. 1. dicitur: *Deus locutus per Angelos decalogum tradiſſe*, & tamen illam locutionem Angelis adſcribit Paulus ad Gal. 3. v. 19. ajens: *Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, id eſt, ſequeſtri inter Deum & hominem ſcilicet Moyſis. Quid ergo mirum, ſi quandoque loco animarum Purgatorii Angeli eorum appareant, & illis ſuffragia procurant; eorum dicendo, ſe eſſe illas animas, non mentiuntur, ſicuti Actores in Comœdijs aliorum perſonam repræſentantes, mentiri à nemine cenſentur, ſi dicant ſe hos, illos, vel alios eſſe.

VIII. *Doctrina ſecunda.* Quamvis locus Purgatorii ſit ſubterraneus inter Limbum & Infernum medius, igne plenus, tamen non omnes animæ ibi purgantur, ſed quædam ſingulari Dei ordinatione ſupra terram variè in varijs locis puniuntur, ſicuti conſtat ex multis historijs; DEUS enim habet varios modos puniendi & purgandi amicos ſuos. S. Gregorius l. 4. Dialog. c. 5. refert, cujuſdam defuncti animam pro ſua pœna in balneo lavantibus inſervire debuiſſe. Sanctus Conradus Episcopus Conſtantiensis, & S. Udalricus Episcopus Auguſtanus cum aliquando inambularent animi levandi cauſa, & cadentes ex alto Rheni aquas arbitrentur, geminas ibi animas volucrem inductas torqueri cognoverunt, pro quibus ſimul ac ad aram fecerunt, ad cælum viſæ ſunt evolare. In vita S. Conradi. Faſt. Mar. die 26. Nov. Henricus in faſciculo Ord. Ciſtert. l. 2. diſt. 7. c. 1. teſtatur, cuidam Monacho Ciſtertienſi revelatas varias pœnas purgantium Animarum, quarum aliqua ſemper diſcurrerant per mundum, aliæ in rectorum ſtillicidijs ſtabant, omnium tempeſtatum injurijs expoſitæ. Imò quædam nullo ſenſibili dolore, ſed ſolâ beatitudinis dilatione aſſiciuntur, quod vocatur Purgatorium deſiderij, ut affirmat Abbas Bloſius in ſuo Monili Spirituali c. 12. fol. 495.

IX. *Doctrina tertia.* DEUS precibus & alijs pijs operibus viventium exoratus pœnas Purgatorii condonat, vel ſaltem mitigat, aut abbreviat. Ita de fide tenent omnes Catholici ex Concilio Trid. ſeſſ. 25. decreto 1. ubi deſinit, *Purgatorium eſſe, animasque ibi detentâs Fidelium ſuffragijs poſſimum acceptabili Altaris Sacrificio juvari*; quod paulo ante ex Lib. Machab. probavit. Merito autem Concilium Sacrificio Miſſæ deſert primas, quia nihil illo efficacius eſt ad animas juvandas propter Paſſionem Chriſti, quæ ibidem repræſentatur & applicatur. Nec ſolum viventium preces & ſuffragia illis profunt, ſed etiam Beatorum in Cœlis, præſertim B. Virginis, quæ ſingulari privilegio à Deo donata eſt, ut in ſuis Feſtis poſſit aliquot animas à Purgatorio liberare, ut ſibi Romæ per viſum fuiſſe oſtenſum, teſtatur Card. Damiani

Tom. 3. opuſc. 34. quod etiam diebus ſabbatinis cultui B. Virginis peculiariter deſtinatis fieri putat Emanuel Rodriquez. in Bullario & alibi. Juſti quoque reſtâ in Cælum euntes prius ad Purgatorium deſcendere, & inde animas aliquot ad Cælum ſecum educere, exemplo Fr. Egidij Franciſcani tradit Surius in ejus vita. An eadem Animæ in purgatorio invocari à nobis poſſint, non convenit inter Theologos. Negat S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 4. ad 3. Affirmat Medina de Oratione. q. 4. & favet exemplum S. Catharinæ Bononiensis. Videatur Tanner Tom. 4. D. 5. Q. 1. n. 89.

## PARS POSTERIOR.

### ERRORES HÆRETICORUM.

X. *Error primus.* Non datur Purgatorium. Ita Lutherani apud Menonem Hanneken in Iren. à fol. 385. Gerhard. l. 2. Part. 2. fol. 422. Item Calviniani apud Amef. Tom. 2. l. 5. fol. 18. & Molinaem in Neopap. à fol. 612. pertinaciſſime negantes, & petulantiffimè irridentes Purgatorium tanquam figmentum, ut ajunt, avarorum Sacerdotum ex Funeralibus Miſſis lucrum captantium. Probat his poſſimum argumentis. *Primum.* Si poſt hanc vitam duo ſint tantum loca animabus parata, nimirum Cælum & Infernum, tum non datur Purgatorium. Sed verum eſt Antecedens. Ergo &c. Major eſt per ſe clara. Nempe Purgatorium eſt tertius locus animarum, Minor probatur ex S. Literis, Eccleſiaſta 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Ubi per Auſtrum & Aquilonem intelliguntur Cœli & Inferi, atque immobilis ſtatus defunctorum indicatur. Matth. 3. v. 12. ait Ioannes Baptiſt: *congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* En tantum duo loci, horreum & ignis, ad eſt, Cælum & Infernum; ad priorum ſpectat triticum, hoc eſt, Juſti: ad poſteriorum paleæ, id eſt, peccatores; quod adhuc clariùs dicitur Matth. 25. v. 46. *ibunt ibi in ſupplicium æternum, Juſti autem in vitam æternam*, & Marci 16. v. 16. *qui credit in eum, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus eſt.* Ubi duo tantum genera hominum ponuntur fidelium & infidelium, priori promittitur ſalus ſine omni judicio & pœna, poſterioribus damnatio.

XI. *Secundum.* Si Juſti ſtatim poſt mortem ingrediuntur cælum, tunc non datur Purgatorium, ubi aliquamdiu detineantur. Sed verum eſt Antecedens. Ergo & Conſequens. Major per ſe patet. Minor probatur ex Script. Pſal. 126. v. 3. *Cum dederit dilectiſſus Somnum, ecce hæreditas Domini*; ubi per ſomnum mors, per hæreditatem cœleſtis beatitudo intelligitur, particula verò admirativa ecce continuam præſentiam indicat. Luca 23. v. 43. Chriſtus Latroni pœnitenti ait: *hodie mecum eris in Paradifo.* Ergo non ivit ad Purgatorium, licet illud vel maxime promeritus fuiſſet; quippe pro maximis ſcleribus tam brevem & exiguam pœnitentiam agens. Joan. 5. v. 24. *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam.* Ergo non hæret in Purgatorio; alioquin tranſiret à morte in Purgatorium



rium, non in vitam. Apoc. 14. v. 13. *Beati qui in Domino moriuntur, amodo dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Sed qui in gratia Dei moriuntur, moriuntur in Domino, quibus amodo, id est, statim à morte promittitur requies ab omni labore & molestia, quæ requie non gaudent animæ in Purgatorio, quibus identidem precamur requiem.

XII. *Tertium.* Si DEUS pœnitentibus integrè & perfectè remittit peccata, tunc non restat ulla pœna Purgatorij adhuc luenda. Sed illud verum est. Ergo &c. Major patet. Nam si à reo pœna exigatur, non est ei plena remissio data peccatorum. Minor probatur ex Script. Ezech. 18. v. 22. *omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; ac si nunquam factæ fuissent.* Confirmatur exemplo Dei, de quo Christus Matth. 5. v. 44. ait, *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sicut filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriari facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Estote ergo perfecti, sicut Pater vester in cælo perfectus est;* unde sic argumentatur: Si Deus à nobis exigit plenam condonationem injuriæ à proximo acceptæ, ut nihil penitus vindictæ ab ipso exigamus, sed pro maleficio beneficium reddamus tunc etiam Deus, qui se pro exemplo hujus misericordiæ proponit, plenam delictorum veniam largitur, nec quicquam pœnæ amplius exigit. Sed iterum verum est Antecedens. Ergo & Consequens.

XIII. *Quartum* argumentum. Si post obtentam veniam culparum adhuc solvenda esset pœna in Purgatorio, tum Christus non plenè satisfecisset pro peccatis nostris. Consequens est blasphemum. Ergo &c. Minor per se patet, quia Christi satisfactio fuit infinita superans omnem culpam, etsi adhuc plures essent homines, & plura peccata. Sequela Majoris probatur exemplo humano. Nam si creditor ulteriorem satisfactionem exigit, non est ei plenè satisfactum &c.

XIV. Errorem hunc Lutherus post Apostasiam suam non statim evomere fuit ausus, sed verbo & Scripto Purgatorium admisit; postea tamen, ut cætera sua absurda dogmata dulcoraret, Purgatorij etiam proscripsit, vel e hoc execratus, quia omni tempore pro hæreticis fuerunt habiti ab Ecclesia, qui orationem pro defunctis & pœnas temporaneas futuri sæculi, adeoque Purgatorij negarent. Præter ea, quæ priori parte jam attulimus, hoc unum ineluctabile argumentum Adversarij opponimus. Nullus immundus & coïnquinatus potest ingredi Regnū Cælorum. Apoc. 21. v. 27. Omnes Lutherani & Calvinistæ, quamdiu hic vivunt, sunt immundi & coïnquinati, & omnia eorum opera sunt sordes, iniquitas apud Deum. Ergo non intrabunt in Cælum, nisi prius purgentur. Atqui non purgantur in hac vita, uti ipsimet fatentur, quia manent semperr peccato originali & cæteris flagitijs contaminati. Ergo in altera vita. Ergo vel datur Purgatorium in altera vita: aut si non datur, omnes Lutherani & Calvinistæ inferno damnantur æternum. Ecce, cum Purgatorij negant Sectarij, idque vitare tentant, inferno se se æternum mancipant, ejusque infelices fore incolas demonstrant. Argumenta non majorem contra veritatem Catholicam vim habent, quam stramen & stipulæ contra ignem. Itaque

XV. Respondetur 1. ad primum argumentum, distinguendo; post hanc vitam duo tantum sunt

loca ultima & perpetuè duratura, concedimus: intermedia & temporanea, negamus. In hunc modum sæpe intelligendi sunt textus Sac. Scripturæ & Patrum; quia agunt de extremo judicio, ubi cessat purgatorium. Speciatim verò quadam loca considerando. Textus Ecclesiastæ, quò maxime triumphant Adversarij, nihil prorsus ad rem facit, quia non loquitur de statu animæ post mortem. Sed de statu corporis morte prosternendi, quasi arboris, quod suâ virtute non potest reurgere, nisi Deus erigat. Si autem velimus ad animam applicare, nomen Austris vel Aquilonis non fumendum pro certo loco, sed pro statu gratiæ vel peccati; Nam in quo statu aliquis decesserit, in eo semper manebit; si in peccato originali, nunquam emerget: si in statu gratiæ nunquam excidet, sed etiam in purgatorio illum retinebit. Locus D. Matthæi potius favet Purgatorio; loquitur enim de tritico à paleis separato, & in Cœli hortum inferendo; si autem mixtum sit paleis, prius ventilatur, & purgatur, sicuti ait Joannes Baptista Matth. 3. v. 12. *cujus ventilabrum in manu suâ, & permundabit aream suam.* Christus apud Joannem dicens, *credentes non judicari,* id est, non condemnari, loquitur de credentibus fide vivâ & ad normam fidei instituentibus vitam. Nam alioquin fideles à judicio non eximi, constat ex Matth. 25. v. 32. *congregabuntur ante eum omnes gentes.* Videantur Cornelius à Lapide, Tirinus, & alij in cit. loc.

XVI. Dicit Amef. fol. 105. Christum Matth. 25. duos solum fecisse hominum ordines, distinguendo oves ab hædis in hac vita, & postea in æternum, idèoque allatis scripturæ locos male explicari, & non dari tertium statum; certè Christus in illa hominum separatione hunc non omittitur fuisse Resp. alibi satis clarè Christum indicasse suum sensum de peccatis remittendis in alterâ vita, ut patet ex priori parte. Matth. autem 25. tantum tradere nobis voluisse doctrinam de duobus ordinibus hominum pro tōta æternitate, ut satis patet ex clausula: *ibunt ergo illi in vitam æternam: hi in ignem seu combustionem æternam.* Urget quando Deus in extremo judicio facturus est prædictam separationem, utique invenientur homines cum solo peccato veniali & restante aliqua pœna, pro quibus tamen non asseritur tertius status. Ad hanc Instantiam jam responsum supra §. II. in fine. Ad dimus, posse Deum variè providere, & rem ita disponere, ut vel nulli tales sint, qui purgatorio ulteriore indigeant, vel brevissimo tempore intensio cruciatû extensioni longioris temporis respondeat.

XVII. Respond. 2. ad secundum argumentum, negando Minorem, quod omnes animæ Justæ statim à morte Cælum ingredientur. Nam promissiones vitæ æternæ illis factæ sunt cum tacita ista condicione, si sufficienter mundatæ ac purgatæ fuerint, vel propriâ pœnitentiâ vel pœnis purgatorij; quia *nihil coïnquinatum introibit & admittetur in Cælum* Apocal. cit. Loca Sac. Scripturæ in contrarium allata nihil efficiunt. David Psal. 126. nomine hæreditatis non intelligit cœlestem Beatitudinem, sed filiorum & hæredum; sic enim loquitur: *Ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris,* quasi diceret, justi non moriuntur steriles, sed relinquent filios hæredes, qui stemma propagent, uti ex communi sensu P.P. locum hunc interpretatur Tirinus. Illud ad bono latrone privilegium singu-



singularissimum minimè in exemplum trahi debet. Addo, eundem à S. Cypriano & Augustino vocari Martyrem, ut ejus poenitentia tam levis non fuerit. Joannis 5. nomine Judicij non intelligitur examen judiciale & temporalis punitio; sed æterna damnatio, à qua immunes erunt fideles vivâ fide credentes, & fidem suam operibus testantes. Interim aliquas pœnas subinde sustinere debent; nam illa particula à morte non significat statim à morte, sed post mortem sive mediata sive immediatè juxta phrasin hebraicam. In Apocal. similiter particula amodo non respicit mortem, sed finem mundi, de quo ibi agitur; simile exemplum habemus Matth. 26. v. 64. in passione, ubi Christus de extremo judicio ait: *amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus caeli*, quod tamen non statim sed post multa sæcula fiet. Ergo vox amodo non significat statim, sed posthac suo tempore. Videatur cit. Author.

XVIII. Dicit Amef. fol. 189. animas in Purgatorio non posse à peccato veniali purgari; etenim qui non potest incidere in culpam, non potest de eadem liberari. Sed animæ separatæ fidelium non possunt incidere in ullam culpam. Ergo. Resp. Negando Antecedens, & distinguo Majorem, concedendo eam de mortalibus; negando verò de venialibus; etenim ab his potest anima separata per actum dilectionis, seu contritionis liberari quoad culpam: quoad pœnam verò satisfacti. Ita tradit S. Thom. in 4. dist. 21. Q. 1. art. 2. & hoc ipsum nos supra §. 3. insinuavimus; Nam acceptatio illa pœnæ à DEO inflictæ potest dici & dilectio Dei, & contritio seu virtualis quædam poenitentia, & licet non sit propriè meritoria, quia non meretur gloriæ vel gratiæ augmentum, tamen est remissoria peccati.

XIX. Respond. 3. ad tertium argumentum. Negando Minorem, quod Deus semper totaliter remittat culpam & pœnam, ut constat evidentibus exemplis Moyſis, & Davidis, quibus post remissam culpam nihilominus temporalem aliquam pœnam imposuit. Quare promissio illa apud Ezechielem facta: *iniquitatem ejus non recordabor*, conditionatè intelligendâ est, si debitam poenitentiam egerit, sicut præcessit v. 21. *Si impius egerit poenitentiam, & custodierit omnia præcepta mea & fecerit judicium & justitiam &c.* Ad confirmationem negamus quoque Minorem; siquidem Deus à nobis non exigit dilectionem inimici omnimodam & sub quovis respectu etiam peccatoris, sed solum, quâ Dei creatura est, & ad æternam beatitudinem ordinatus; perinde ut ipsemet Deus non amat peccatores, ut tales, *cum odio sint Deo impius & impietas ejus* Sap. 4. v. 9. Quapropter cum dicto odij moderamine ab illis, qui nos læserunt, aliquam restitutionem & satisfactionem requirere possumus; alioquin omnes processus judiciales de injurijs tolli deberent. Dicit Amefius fol. 189. in Purgatorio non est meritum. Ergo nec satisfactio. Negatur Consequentia; quia etſi in aliquibus conveniant satisfactio & meritum, differunt tamen, quod ad hoc requiratur status viæ, & libertas: non verò ad illam. Aut ne lis sit de nomine; dicamus, animas in Purgatorio satisfacti, seu satisfactioem exhibere posse, ut loquuntur aliqui Theologi, quos supra §. 4. secuti sumus.

XX. Respond. 4. ad quartum argumentum, duplicem esse satisfactionem pro peccatis, unam in actu 1. alteram in actu 2. In actu 1. satisfacere pro altero significat sufficiens pretium solutionis subministrare, si debitor uti velit, sicuti alicubi homines pij conferunt magnam summam pecuniæ, quam vocant montem pietatis, ut pauperes obarati possint inde accipere auxilium pro solvendis debitis, si velint debito modo uti. In actu 2. satisfacere pro altero significat pecuniam ipsam creditori loco debitoris numerare, ut nihil amplius exigere valeat. Jam Christus pro nostris peccatis abundantissimè satisfecit in actu primo, quia tantum meritori thesaurū nobis reliquit, ut, si velimus uti per mediā nobis præscripta, possimus delere omnem culpam & pœnam: non autem satisfecit in actu secundo, quia adhuc multum damnatur, sed oportet adhibere mediā, & Christi merita nobis applicare per poenitentiam & Sacramenta &c. Inflat iterum Amefius fol. 187. Si nos satisfaciamus pro peccatis nostris, tum dividimus cum Christo honorem, ita ut ipse non sit solus Redemptor noster, sed nos etiam aliqua ex parte. Hoc autem nefas & incuriosum est Christo perfecto & unico Redemptori nostro. Resp. Negando sequelam. Nam tota virtus operum & Satisfactionis nostræ est à Christi sanguine dependens, & id ipsum, quod nos cooperamur, spiritus illius in nobis operatur, sicuti etiam nihil detrahitur Deo, quod causæ secundæ Deo cooperentur; imò potius additur ad gloriam ipsius. Cæterum Amefio, Molinæo & cæteris Sectarijs explicandum relinquo, quomodo D. Paulus ad Coloss. 1. v. 24. rectè dixerit: *Adimpleo eas, quæ desunt passionum Christi*; si enim applicatio meritorum Christi, ut ait ipse, nihil est ad rem, & Redemptio ejusdem nullam coöperationem requirit, & admittit, quomodo Apostolus allere audet, aliquid passionibus Christi deesse, & hoc se implere? quomodo non injuriam facit per hoc Christo perfecto & unico Redemptori? imò quomodo ipsum heretice injuriam non faciant Christo unico & perfecto Mediatori, dum ejus merita per actus fidei sibi applicant? Textus Sac. Scripturæ, quos Molinæus fol. 623. pro se adducit, intelligendi sunt juxta datam doctrinam nostram, quam confirmat Apostolus Roman. 8. v. 17. ajens: *heredes quidem DEI, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut conglorificemur.* Ubi clarè apparet, ad consecutionem Beatitudinis etiam aliquid à nobis & ex parte nostra requiri, etiam si Christus abundè pro nobis satisfecerit. Ut alibi pluribus docetur.

XXI. Error secundus. Purgatorium dari, necesse, nec fuisse unquam articulum fidei. Ita Calvinus L. 3. Instit. c. 5. §. 10. Petrus Martyr in Comment. t. 3. 1. ad Corinth. Gerhardus Loco supra cit. asserens fol. 429. *Purgatorium desitui Ecclesiæ primitive suffragio.* & fol. 433. *Purgatorio in Ecclesiâ à multis fuisse omni tempore contradicium.* Molinæus fol. 623. cit. ubi ait, *ab anno Christi 595. Purgatorium initium sumpsisse.* & alij Sectarij. Probant 1. Quia ex Sac. Scriptura ostendi non potest Purgatorium. Nam ipsi etiam Pontificij allata Scripturæ loca aliter explicarunt. Et Cottonus ex ipso cacodæmone suscitari non dubitavit; ex quo totius novi Testamenti loco Purgatorium commodissimè fulciri posset, 2. Quia Græci Purgatorium non credi-



crediderunt. Unde Thomas opusculo contra errores Græcorum hoc nomine eos perstringit, quod non credant Purgatorium, 3. quia S. S. P. P. Purgatorium pro re incerta habuerunt, ut affirmat Calvinus loco cit. 4. Quia ipsimet Pontificij faterentur, Purgatorium esse dogma Ethnicum, Judaicum, & Turcicum. 5. denique quia Ecclesia in Missa Pontificia orat, ne fidelium defunctorum animas absorbeat tartarus, id est, ut liberentur à sententia damnationis in extremo iudicio ferenda, non autem à Purgatorio. Ergo hujus non habet Ecclesia certam fidem.

XXII. Errori huic adversatur, quod pro hæreticis semper sint in Ecclesia Catholica habiti, qui Purgatorium negaverunt. Imò Aërius jam ante 1200. annos inter hæreticos fuit numeratus, quod suffragia mortuorum negarit, ut videre est apud Epiphani. hæres. 75. & Augusti in lib. de hæres. cap. 53. Hæreticus autem non est, qui negat id, quod de fide aut articulo fidei non est. Ipse etiam Lutherus in Disp. Lysiacæ eidem errori contradicit: Ego, inquit, credo fortiter; imò ausim dicere, scio Purgatorium esse: facile persuadeor, in Scriptura de eo fieri mentionem: nolo mihi fieri suspensionem, quasi feceram hæreticus, aut Bohemus. Ego nihil de Purgatorio novi, nisi animas ibi pati, nostris operibus & orationibus iuvandas. Ecce Lutherus credit fortiter tanquam articulum fidei, dari Purgatorium; fatetur hoc contineri in Sac. Scriptura, admittit bona opera, & hæc atque orationibus animas in Purgatorio iuvari, ac demum censet, hæreticos esse, qui negant, vel Purgatorium dari, vel animas in eo operibus & orationibus iuvari, vel hujus extare articulum fidei; quidquid aliter alibi senserit turpis Apostata & Proteus. Adhæc omne id est de fide, seu articulo fidei, quod à Deo est revelatum mediata vel immediate, revelatione scripta vel tradita. Atqui dari Purgatorium omnibus hæc quatuor modis revelatum est, ut patet ex doctrina prima prioris partis. Rationes in oppositum adductæ haud difficulter solvuntur.

XXIII. Respond. ad 1. Negando, ex Sac. Scriptura Purgatorium probari non posse. Adduximus in priori parte aliquot hujus testimonia, & viginti allegat Card. Bellarminus L. 1. à cap. 2. quæ si legere potuissent Joannes Fischerus, vulgò Rossensis dictus, Christi in Anglia Martyr. Item Petrus à Soto, Alphonsus à Castro, Navarrus; & nonnulli, quos citat Gerhardus, non desiderassent Scripturæ loca pro Purgatorio. Alij Auctores Pontificij solum volunt, ex Script. solâ absque declaratione Ecclesiæ, vel absque deductione ex alio claro Scripturæ loco aut traditione evidenter demonstrari non posse Purgatorium, quod etiam fatetur cum Bellarm. L. 1. c. 11. nihilque efficaciam probationis demit; sicuti nec illud, quod aliqui Pontifices nonnulla loca pro Purgatorio adducta in alium sensum explicaverint; quia per hanc explicationem non negant alteram toti Ecclesiæ communem. Quod Gerhardus de Cottono assert, quod diabolum consuluerit, è quo loco Scripturæ Purgatorium evidenter probaretur, est vna è familiaribus calumnijs hæreticorum contra Jesuitas, ut vel sic simplicibus illudant, & à veritate amplectenda illos avertant. Quod si forsitan Cottonus, ut erat vir ingentis Zeli, aliquando energumenum exorcizans diabolum adiurasset, cõgissetque, ut ediceret, qui in S. S. Literis efficacissimus locus foret pro Purgatorio af-

serendo, aliter loqui debebat Gerhardus, & non tam immodeste effutire, Cottonum Jesuitam ex diabolo quæsisisse. &c. Nam verba hæc ita crude prolata videntur innuere commercium aliquod cum dæmone, quale Zwinglium & Lutherum habuisse orbi notum est, & ipsimet non dissententur. de Cottono autem viro religiosissimo simile quid nec suspicari unquam licuit.

XXIV. Ad 2. Græcos P. P. Originem, Basilium M. Gregorium Nazian. Ephrem, Gregorium Nisænum, Eusebium Emisenum, Theodoretum & reliquos quatuor & quinque primis sæculis Purgatorium credidisse, ut ostendunt clarissima eorum testimonia, quæ allegant Bellarm. L. 1. de Purgatorio c. 6. & Vetweis. in Speculo Ecclesiæ fol. 323. Posterioribus autem sæculis, etsi aliqui Græci negarint animas igne cruciari, semper tamen concessere, quod opus habeant precibus vivorum, ut inde liberentur, uti constat. Nam Græci Patriarchæ & Episcopi in Concilio Florentino congregati Sess. vltima. ad interrogationem, quid de purgatorio igne sentirent, responderunt primò quidem & privatim his verbis. *proferimus ex nobis, iustorum animas perfectam laureolam in Cælo jam consecutas esse, ac impiorum perpetuas penas lucrere, medias vero in Purgatorio esse, quod quidem sive ignis, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit, nihil referre.* Verùm postea ex consensu communi in Litteris unionis Græci ac Latini sic unanimiter concordarunt & definierunt: *si verè penitentes in charitate discesserint, antequam dignis penitentia fructibus de commissis & oneris satisfecerint, eorum animas penas purgatorij post mortem pati. & ut à penis hujusmodi releventur, prodesse eis vivorum suffragia &c.* In eundem sensum posteriores Græci anno 1560. in Respons. ad Cardinalem Guisium se declararunt. Item Gabriel Alexandrinus Patriarcha in epist. ad Clementem VIII. anno 1595. similiter Ruthenorum Legatus anno 1595. in fidei suæ professione sic ait. *constanter teneo, Purgatorium esse animarum, ibi detentis fidelium suffragijs iuvari.*

XXV. Ex his aperte constat, à Sectarijs falso asserti 1. Græcos unquam Purgatorium absolute negasse, cum tantum aliqui negarint ignem Purgatorii, 2. in Concilio Ferrariensi & Florentino, inter Græcos non convenisse de Purgatorio, 3. contra Græcorum consensum Decreto Unionis Purgatorium fuisse insertum, quæ sanè est decimana & horrenda calumnia toti Occidenti injuriosa. 4. Episcopus Ephesinus decreto unionis noluisse subscribere propter Purgatorium. 5. Non solum contra consensum Græcorum, sed etiam aliorum Decreto Unionis Purgatorium fuisse insertum; hæc, inquam, omnia & singula longè falsissima sunt, quæ tamen ab hæreticis passim sparguntur. Demum etiam falsum est, quod ait Gerhardus. D. Thomam hoc nomine perstringere Græcos, quod non credant Purgatorium, cum Angelicus D. loco cit. ex Theodoro expressè referat hæc verba: *hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur anime ut aurum in conflatorio &c.* Ex his ergo solum D. Thomas perstringit Græcos, quod ignem in Purgatorio admittere nolint.

XXVI. Ad 3. palmarem & prorsus ad ipsam falsitatem, & calumniam esse gravissimam, quod ausus fuit scribere Calvinus, loco cit. *veteres Patres in errorem fuisse abreptos, ut & ipsi Purgatorium, & prærationes pro defunctis admitterent.* An non Sac. Scri-



pturæ, Apostolicæ Traditiones, Primitivæ Ecclesiæ praxis & devotio, gravia rationis momenta Purgatorium adstruunt? Quomodo ergo veteres PP. Purgatorium inde credentes & preces pro defunctis admittentes errore abreptifuerunt? An non potius Calvinus stultitiâ abreptus est, cum veteres Patres erroris argueret? Certè insolentis insaniam est, disputare contra id, quod universa facit Ecclesia, juxta D. August. Epist. 118. cum ipsa Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis. Quando Auctor Hypognostici, quos maxime triumphant hæretici, dicit, *fidem Catholicam duo tantum agnoscere loca, Cælum & Gehennam, tertium ignorare*, sermo est, de locis animarum æternis contra Pelagium, qui nescio quem locum Beatitudinis Naturalis parvulis sine baptismo decedentibus assignavit, simulque indicat idem Auctor, parvulos decedentes sine Baptismo supplicia in gehenna experturos; quod tamen parum probabile est, de quo videri potest Tanner Tom. 2. D. 4. Q. 10. dub. 5. Caterum neque Augustinus neque alius ex veteribus Patribus unquam dubitavit de Purgatorio ipso, sed alijs rebus Purgatorium concernentibus v. g. de genere peccatorum, quæ in Purgatorio essent luenda; an videlicet adhuc anima quibusdam immodicis affectibus rerum temporalium tangatur & moveatur, pro quibus purgandis pœnas in purgatorio luere debeat? Item de genere pœnarum, an verò igne ejusdemque rationis cum igne infernali animæ in Purgatorio puniantur? Videatur D. August. in Enchir. cap. 69. & alibi. Unde etiam apparet, crassum esse mendacium, Molinæi, Purgatorium ab anno Christi 595. initium sumpsisse. Videat mandacissimus rabula Bellarminum, Baronium, Gualterium, & alios: atque omnibus retro sæculis Purgatorium affirmatum fuisse, perspiciet.

XXVII. Ad 4. Consensum Judæorum, Mahumetanorum, & Ethnicorum circa hoc dogma per scommata Amesij, & Gerhardi, aliorumque Adversariorum non labefactari. Nam ex hoc omnium Gentium calculo & consensu inter Gentium Philosophos, Judæorum Rabinos, Turcarum Mustos, Indorum Bonzios (uti ex S. Francisci Xaverij Lib. 4. epist. Indicarum refert Gerhard. hic fol. 434.) nos Catholici contra illusores hæreticos sic rationamur. Quod omnes omnino Populi comimuni consensu approbant, verumque habent, id omnes sapientes omni tempore habuerunt pro verò. Sic Parentibus obtemperandum esse, furta cavenda, Deum aliquem mundum regere &c. pro oculis ideo habentur, quia in hoc sensu Gentēs omnes fideles & infideles conveniunt. Cum igitur omnes prorsus Populi in hoc quoque conspirent, ac consentiant, diversas esse alterius vitæ pœnas pro delinquentium diversitate in hac vita: graviorēs alias, alias mitorēs: alias æternas, alias certi temporis pro Judicis aut Judicium alterius vitæ justo arbitrio, & minus magisve delinquentium qualitate, incredibile planè videretur, solos Lutheranos & Calvinistas ab omnibus dissentientes sapere, ut proinde rectissime istis Evangelicum illud dici queat: *adhuc & vos (& quidem soli) sine intellectu estis*, Matth. 15. v. 16.

XXVIII. Denique verba illa, quibus Ecclesia orat pro aliquo defuncto, *ne pœnas inferni sustineat &c.* non posse, nec debere intelligi de liberatione à solis pœnis Purgatorij, sed etiam de evita-

tionem inferni. Nam Deus prænotat ab æterno varias scientias omnia, quæ in tempore sunt futura, ac nominatim cuiusque hominis mortem, & preces pro eo aliquot etiam post diebus suas, quod probè sciens Ecclesia orat pro Fidelibus suis defunctis, ut Deus pro infinita Bonitate ac Clementia sua tales illis gratias ab æterno ordinare ac concedere dignetur, quibus in ultimo præsertim agone positi actus penitentiae & amoris elicere, Deo se unire, & sic non solum æternas ignis infernalis, sed etiam temporales purgatorij pœnas saltem citius evadere valeant. Videri potest Card. Bellarm. L. 2. de Purg. cap. 5. ubi paulo aliter respondet, sed ista nostra doctrina est planissima, optima, & communissima Theologorum, & per eam expressè explicantur prædicta verba Ecclesiæ à Card. Pallavicino L. de Actibus hum. cap. 8. n. 106 &c.

XXIX. Cùm autem Molinæus hanc solam orationem ex Missa pro defunctis producit? nunquid ibidem aliæ sunt multæ, in quibus aperte fit mentio purgationis, pœnarum, & liberationis ex loco tenebrarum, quæ non nisi Purgatorio applicari possunt? Ait, purgatorium admitti posse etiam à Patribus assertum: at non aliud, quam tribulationes temporales, & publicas penitentias olim in Ecclesia agi solitas; imò etiam ignem purgantem: at non alium, quam in extremo mundi die præcedentem universale DEI iudicium. Non inciamur nos Catholici, subinde Patres temporalem tribulationem ac publicam penitentiam vocare consueisse Purgatorium; ex hoc tamen non sequitur, eos negasse verum Purgatorium. Quod etiam idem per ignem, qui extremum DEI iudicium antecedit, solum intellexerint Purgatorium, à veritate alienissimum est. Si etiam juxta mentem Patrum, ut illos intelligit Molinæus, omnes animo Sanctos ipsam quoque B. V. Mariam illum ignem transire oporteat, certè hoc Purgatorio vero non convenit, siquidem istud multi Sancti nec transendo attingent, scilicet sufficienter in hac vita purgati & mundati; ut taceam B. V. Mariam, quæ nihil habet, puod purgetur, omnis culpæ & pœnæ immunem. Videatur Antiquus Papatu P. Laurent. Forer. lib. 7. de Purgatorio, Bellar. ibid. lib. 1. c. 6. &c.

## CONTROVERS. XLI.

### DE ADORATIONE.

**H**A hæreticorum perversa est indoles, ut Aegyptiacarum ranarum instar non solum inferiora penetralia Ecclesiæ Militantis ac Purgantis maledicentij suis attingant, sed contra Triumphantis etiam beatas atque altissimas Sedes cœxent. Hisce igitur garulis silentium indicturi ostendemus, quam iuste Deo adoratio: Sanctis verò eorumque Imaginibus ac Reliquijs veneratio deferatur: & quam iniquè à Sectarijs suis Beatis in Ecclesia Triumphante honor auferatur.

✠:o: IHS. :o:✠

PARS



## PARS PRIOR.

## DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **P**ost Ecclesiam in communi: atque in specie post Militantem ac Purgantem ad Triumphantem progredimur, ad quam maxime Adoratio Dei & cultus Sanctorum spectat, sequentibus controversijs explanandus. Ab Adoratione igitur Dei incipiendo. Nomen hujus non eodem modo ubique sumitur. Nonnunquam enim generatim significat quemcumque actum Religionis internum vel externum, quo honor divinus Deo defertur. Verum proprie ac in proposito accipitur pro externo ac simplici quodam actu seu nota reverentiae ac honoris, qua per certum & culjusvis patriae receptum quandam mortem ac gestum corporis alteri reverentia exhibetur.

II. *Doctrina prima.* Adoratio in genere est submissio & recognitio excellentiae personae adoratae ex affectu illam se recognoscendi. Ita omnes Catholici Doctores & Theologi ex D. Damasceno Orat. 1. de Imaginibus & Orat. 3. Ex qua definitione apparet, adorationem quatuor saltem actus deponere: 1. est iudicium speculativum intellectus de alterius excellentia; qui actus pro diversitate objecti vel ad fidem, aut similem habitum supernaturalem intellectus, vel ad naturalem mentis solertiam & vires cognoscendi pertinet. 2. est iudicium practicum, seu dictamen intellectus eidem hic & nunc pro ratione excellentiae cultum congruum cum debita animi demissione deferendi, qui est actus prudentiae. 3. est actus voluntatis huic iudicio consentientis, adeoque submittentis se alteri, ubi alius actus intervenit eligens objectum ac medium, quo talis protestatio submissionis fiat, qui actus tertius voluntatis in adoratione praecipuus est, & velut actus immediatè elicitus ad eam ipsam virtutem observantiae pertinet, qua pro ratione conditionis res aliqua colitur. 4. denique est actus externus vel nota submissio, & ultimè consummans adorationem; qui actus ab eadem virtute dici potest vel per se immediatè imperatus, vel mediatè elicitus. Vsq; condendit, adorationem sine hoc actu externo consistere non posse. Alij tamen communius & probabiliter contrarium tenent. Sed de hoc Scholastici.

III. *Doctrina secunda.* Adoratio ferè tripliciter dividitur ab Auctoribus. 1. Divisio est in *Sacram seu Religiosam*, & *Politica seu Naturalem*. Prior est ordinis supernaturalis ex motivo supernaturali, & tam Deo quam Sanctis pro cuiusque excellentia convenit: Posterior verò est ordinis naturalis ex motivo solum naturali, & ideo hominibus ob varia eorum dona, prerogativas & officiorum potestates tribui solet. Meno Hanneken in Irenico suo fol. 461. & universim haeretici duo hujus divisionis membra reducunt ad duas tabulas Moysis, & in prima adorationem Sacram solius Dei: in secunda verò omnem Angelorum ac Beatorum cultum ponunt; quasi verò istorum nullus cultus facer ex motivo supernaturali datus, & in prima tabula post Deum collocari posset. 2. Divisio Adorationis est in *Absolutam* & *Respectivam*; Prior est, qua quis se submittit alteri ob ex-

cellentiam ipsius, quae adoratio soli enti intellectuali ac rationali convenire potest; quia sicut solum illud capax est virtutis, sanctitatis, ac dominij (quae sunt qualitates constituentes objectum dignum) ita quoque absolutae adorationis: Posterior est, quae fit alteri non propter excellentiam in illo residentem, sed propter respectum, quem habet ad aliud, & ratione cuius honore dignum iudicatur. Haec igitur adoratio rebus inanimatis convenire potest, cum non sistat in illis, sed transeat & referatur ad personas, ad quas illae res inanimatae respiciunt, ut contingit in adoratione Crucis, Imaginum &c. Ita Suarez Tom. 1. in 3. P. disp. 51. sect. 2. in fine. Vsq; de adorat. D. 3. c. 3. in principio, & alij Scholastici. 3. Divisio eaque celeberrima est in *Latriam*, *Duliam*, & *Hyperduliam*. Latria, prout nunc à tota sumitur Ecclesia (olim enim servitute in communi significabat) indicat specialem adorationem soli Deo convenientem ratione supremæ & infinitæ excellentiae. Dulia verò significat cultum seu adorationem, quae exhibentur Sanctis Dei Amicis ob dona supernaturalia & creatam excellentiam; quam plerique subdividunt in Hyperduliam, & Duliam simpliciter dictam, illa ob excellentiam singularem, & Maternitatem Dei tribuitur Beatissimae V. Mariae; haec caeteris Dei Amicis impenditur. Has tres species convenire univoce, hoc est, non merè æquivocè communiter volunt Scholastici; quia non conveniunt solo nomine, sed re & in aliqua ratione communi & abstr. acta, scilicet esse testimonium animi submissi respectu excellentiae alterius, praescindendo quanta sit illa respectiva submissio, & ille excessus excellentiae.

IV. *Doctrina tertia.* Deus propria quadam, eaque perfectissimâ & excellentissimâ Adoratione Latriae est adorandus. Est extra controversiam, & apertè habetur. Deut. 6. v. 13. Matth. 4. v. 20. *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.* Ratio est, quia unicuique Personae seu Naturae intelligenti ac Sanctae pro ratione suae excellentiae ac dignitatis condignus adorationis honor est tribuendus. Ergo cum Deus sit Naturâ summæ Excellentiae & Dignitatis, propria quadam & quidem perfectissimâ atque excellentissimâ adoratione est colendus, qualis sola est adoratio Latriae. Haec autem adoratio Dei propria non tantum ex ipso ritu externo adorationis corporisque gestu (siquidem in simos quosque adorationis gestus, plura corporis prostrationem flexionem genuum &c. etiam hominibus rectè fuisse exhibitos, constat ex Sacra Scriptura Genes. 23. v. 3. & alibi) quam ex interna animi demissione ac reverentia desumitur, quae reverentia animique demissio respondet rationi formali objecti, seu termini adorationis, quae est ipsa Excellentiae divinae dignitas, seu ratio primi Principij, quae proinde unum specie adorationis cultum constituit ad virtutem Religionis pertinentem.

V. *Doctrina quarta.* Christus DEUS & Homo adorandus est eadem Latriâ perfectissimâ, qua adoratur tota Sanctissima Trinitas & quaelibet hujus Persona. Ita omnes Catholici de fide tenent. Tum quia Christus Dominus, ut sic, est verus DEUS; neque enim Verbum divinum assumens Naturam Humanam se Divinitate privavit, sed retinens Divinitatem sibi humanitatem copulavit. Tum quia sic fuit adoratus à Magis Matth. 2. v. 11. à caeco illuminato Ioan. 9. v. 38. à Thoma Apost.



Apost. Joan. 20. v. 28. Et sic Christum esse adorandum, tradit Paulus ad Philip. 2. v. 10. ajens: *In nomine JESU omne genu flectatur.* Et ad Hebræos 1. v. 6. *& adorant eum omnes Angeli ejus.* Arque ita docent omnes Scholastici, ut fuse ostendit Suarez. Tom. 1. in 3. P. D. 53. Sect. 1. Hoc cum certissimum apud omnes sit, si Christus sumatur, ut Deus. Quæstio est, an etiam, ut homo, adorari sic queat? Pro decisione hujus quæstionis duo statuimus.

VI. *Primum.* Humanitas specificativè spectata in Christo adoratur eadem prorsus Latriæ cum Verbo. Ita communiter hodie Catholici contra paucos antiquos; imò Vasq. in 3. P. D. 94. cap. 2. hanc doctrinam censet esse de fide propter Concilium Alexandrinum definiens: *Christum JESUM Filium DEI unigenitum unâ Adoratione cum Carne adorari.* Quod multò clariùs docent SS. Patres apud cit. Auc. ex quibus D. August. in Psal. 98. *Nemo, inquit, Carnem Christi manducat, nisi priùs adoraverit.* Rationem assertit Cyrill. & sic argumentatur: sicut adoratur totus homo duliâ propter excellentiam, quæ est in solâ anima, & tamen cõadoratur caro hominis; quippe adoratur illa persona excellens, licet excellentia non sit in omnibus partibus personæ: Sic etiam adoratur Latriâ totus Christus quoad omnes suas partes propter excellentiam Divinitatis, quæ est in illâ persona, ita ut etiam affectus submissionis in ipsam Humanitatem tendat, eò quod realiter in se habeat supremam Excellentiam. Interim fatendum est cum Ariaga de Incarn. disp. 52. à n. 5. eandem Latriam non eodem prorsus modo terminari ad Humanitatem & Verbum. Nam Verbum adoratur propter suam propriam excellentiam: Humanitas verò propter excellentiam non suam sibi que identificatam, sed propter excellentiam Verbi sibi solùm unitam; unde non tam dicitur adorari, quàm cõadorari, id est adorari propter conjunctionem cum alio. Nihilominus Humanitas adoratur per se, sicuti unita Verbo constituit cum hoc compositum per se (ad quod suppositum intentio adorantis terminatur) & non per accidens, ut rectè Suarez. D. cit. Sect. 2. *Alterum est.* Humanitas Christi reduplicativè sumpta, id est, secundum excellentiam creatam, quam ex se aut in se habet, non potest cultu Latriæ adorari. Ita ex communi Doctorum Mendoza de Incarn. D. 85. §. 8. Ratio videtur clara; quia nihil potest adorari latriâ propriè dictâ, nisi ratio adorandi sit excellentia increata. Atqui formalis ratio adorandi in nostro casu tota est creata; siquidem possum apprehendere Humanitatem Christi, ut habet excellentiam quandam à gratiâ habituali, & modo unionis hypostaticæ distinctam realiter ab excellentia Verbi. Ergo humanitas sic sumpta, & præcisa à Verbo solâ cogitatione nostrâ non est digna perfecto cultu latriæ.

VII. Cæterum non convenit inter Theologos, an eadẽ Humanitas reduplicativè sumpta secundum excellentiam supernaturalem creatam, quam in se habet, possit physicè alio inferioris adorationis genere coli sive in abstracto, sive in concreto? Negant Vasq. L. 1. de Adorat. d. 4. Palao Tract. 8. d. 1. puçt. 2. n. 4. & alij. Affirmant Suarez. D. 53. cit. Sect. 2. Concl. 2. & 3. Arriaga, & alij. Probabilius mihi videtur, Humanitatem physicè tam in abstracto, quàm in concreto adorari posse. Ratio prioris est, quia nihil repugnat concipere Humanitatem

Christi, ut ornatam talibus donis creatis, & illi propterea se subijcere; si enim sub illa consideratione est objectum amabile, cur non etiam adorabile, si sit res adorationis capax? Ratio posterioris est, quia omne concretum habens in se excellentiam honore dignam, potest coli adoratione illi commensuratâ. Sed Christus, & homo, sive concretum ex humanitate, & unione resultans habet excellentias honore dignas. Ergo propter eas potest coli adoratione commensuratâ; nempe vel cultu latriæ, non tamen perfectæ, sed inferioris, ut volunt Suarez. & Arriaga; vel hyperdulæ, ut malunt Card. Bellarm. L. 1. de Beati sanct. c. 12. & alij; cum cultus iste planè inferior sit Latriâ; siquidem unio illa, etiam si sit conjunctio physica cum Divinitate; revera tamen non fit ipsa Divinitas. Mèno Hanneken in suo Jrenico fol. 466. arguit inde Card. Bellarminum Nestorianismi; & erroris contra Concilia prohibentia duas adorationes respectu Christi. Sed homo stolidus nescit à Concilijs agi solùm contra Nestorium aliòsque hæreticos introducentes Christi adorationem completam terminatam ad duas in eo Personas, quarum unam propter alteram diversocultu adorandam dicebant, ut proinde prædicta Concilia nihil habeant contra nos, qui non loquimur de adoratione totius suppositi, nec volumus Humanitatem veluti diversum suppositum more Nestoriano adorari posse diversò cultu ab eo; quitali supposito tribuitur. Hoc enim longè ablit à nobis; sed eandem præcisè sumptam & donis solùm supernaturalibus donatam. At non decenter fit talis adoratio inferior. Ita quidem sentiunt Adversarij Catholici. Sed non apparet ratio, quæ convincat; quæ enim indecentia, si Leopoldum modernum Romanorum Imperatorem consideremus, ut Comitem Habsburgicum aut Tyrolensem; & sic dicamus, minorem ei reverentiam deberi, quàm eidem ut Imperatori Romano debatur?

VIII. *Doctrina quinta.* Deus & Christus adoratur in Cœlo tam ab Angelis, quàm ab Animabus Justis, quamprimùm istæ ex hac vita discesserunt, & emaculatæ beatâ illa visione frui ceperunt. Ita omnes Catholici, & definitum est à Benedicto XI. Item à Concilijs Florent. Sess. ult. in decreto unionis ante finem, & Trid. Sess. 25. de invocatione & veneratione SS. Reliq. & SS. Imaginum. Atque expressè suppositit Ecclesia in Orat. de S. Gregorio; ubi dicit: *DEUS qui Anima Famuli tui Gregorij æterna beatitudinis præmia contulisti &c.* De Angelis non est dubitum: *adorate Deum omnes Angeli ejus Psal. 14. v. 8.* Et clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus Sanctus Sanctus &c. Isaia 6. v. 3. *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & Seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt eum.* Apoc. 7. v. 11. *De animabus justis, quod statim ac hinc discesserunt & penitus purgatæ fuerunt; Deum in cœlo adorent.* Probatum 1. ex Sacra Scriptura 2. ad Corinth. 5. v. 4. *qui sumus, inquit Apostolus, in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eò quod nolumus exspoliari, sed supervestiri.* Et mox. v. 6. *Audemus igitur semper scientes, quoniam dum sumus in corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentis esse ad Dominum.* Ex his verbis formatur argumentum hujus.



hujusmodi. Datur aliquis status animæ, in quo anima peregrinatur à corpore, & est præfens Domino non per fidem, sed per speciem, hoc est, videndo à facie ad faciem. Sed in tali statu anima adhuc separata à corpore videt Deum. Ergo ante Resurrectionem videt Deum. Major patet; quia fides non evacuatur, hoc est, non cessat, nisi per visionem Dei illi succedentem, videatur Tirinus, ubi D. Anselmum, Thom. Aquinatem, Liranum & alios pro hoc sensu adducit. Ad Ephes. 4. v. 8. dicit idem Apostolus de Christo: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, quæ verba ex Psal. 67. v. 19. desumpta communiter DD. interpretantur de Patribus in Limbo, quos Christus inde extrahens Cælo secum intulit, æternum Deo fructuosos. Luc. 23. v. 43. Christus ait latroni: *hodie mecum eris in Paradiso*; non terrestri Adami, nec etiã in cælo empyreo aut cælesti, sed generaliter in loco voluptatis, puta in consortio tot miriadum SS. Patrum, & in clara visione Dei, quæ intuitu mortis Christi, statim ac iste expiravit, concessa fuit omnibus in Limbo, ut communiter tenent Patres & Interpretes Scripturæ in hunc locum. Atque hæc clara Dei visio est ipsa Christi regnum, quod latro petierat, hoc est, summa & æterna felicitas. Probat 2. ex Patribus tam Græcis quam Latinis, quos fuse adducit Card. Bellarm. L. 1. de Beat. Sanct. c. 4. & 5. sufficiat nobis unus & alter. Epiphani. hæres. 78. in fine: *Sancti*, inquit, *sumi in honore, quæ ipsorum in gloria, perfectio in perfectione, fors illorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum Sanctis, diæta in cælo, gloria in honore incomparabili & perpetuo, braviæ in Christo Domino nostro*. D. August. in Psal. 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est &c. sic Scribit: *ibi omnes iusti, & sancti, qui fruuntur Verbo Dei, sine lectione, sine literis; quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei illi cernunt, &c.* Probat 3. Ratione. Quia de facto animæ peccatrices & in mortali peccato ex hac vita decedentes statim in infernum detruduntur, quod Christus voluit significare per historiam Lazari, & Epulonis Luc. 16. n. 20. & constat ex innumeris apparitionibus. Ergo etiam animas sanctas par est statim præmiari, cum jam habeant plenitudinem meritorum suorum, neque cælum amplius sit clausum, quod Christus triumphator ingrediendo in illud omnibus iustis referavit. Et Deus ad benefaciendum promptissimus est Eccles. 11. v. 24. *Benedictio DEI in mercedem iusti festinat.*

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HAERETICORUM.

**IX. Error primus.** Est Wicleffi apud Waldensem Tom. 1. doct. fid. a. 3. c. 44. assertentis: Christi Humanitatem à Verbo divisam in propria persona adorandam esse adoratione perfectæ Latriæ ob beneficium Redemptionis. Error iste satis refutatus est in priore part. Doct. 4. §. VI. ubi diximus, de facto absque reali separatione Humanitatem Christi, quæ italem, perfectæ Latriæ adorari non posse. Nam loquendo de adoratione internâ, à qua externa accipit denominationem Latriæ, videtur implicancia in terminis, illam interiorem esse æqualem respectu humanita-

tis Christi, ac respectu Verbi; siquidem iudicium internum, quò ego iudico, Humanitatem esse excellentem, non est illud, quò iudico, Deum esse excellentem: neque possum habere iudicium, quò iudicem Humanitatem esse æquè excellentem, ac Deum; sed iudico, minorem esse excellentiam Humanitatis quæ talis, quàm sit excellentia Verbi. Ergo humanitas, quæ talis considerata, etsi re ipsa Verbo unita sit, perfectæ Latriæ coli non potest, sed inferiore quâdam, aut hyperdulia adorari debet. Quod autem eadem Humanitas realiter divisa à Verbo in propria persona perfectæ latriæ adoranda sit, manifestè erroneum est. A quo tamen errore longè absunt illi Theologi, quos supra oppugnâvimus. Ratio Wicleffi prorsus nulla est, cum Humanitas à Verbo realiter divisa in propria persona subsistens nihil faciat ad redemptionem, quia, ut sic, non terminat Verbum, & est merè aliquid creatum. Quòd si loquamur de eadem Humanitate, prout se de facto habet absque reali separatione à Verbo; tunc Christus præcisè, seu quatenus homo, non est Redemptor, quasi causa Principalis, sed solum tanquam prima secundum quid, nempe in ratione meriti & satisfactionis, cum Verbum absque Humanitate satisfacere ac mereri non potuerit; ut rectè Tanner Tom. 3. disp. 5. Q. 2. n. 54.

**X. Error secundus** est Lutheri Prælect. in Genes. & Calvini L. 3. Institut. c. 20. post aliquos antiquos hæreticos apud Bellarminum L. de Beat. Sanct. c. 1. nullius hominis animam, quantumvis sanctam, ante extremum iudicij diem cælum ingredi; aut cælesti beatitudine potiri, sed sub terra aut alio loco morari, donec veniat dies extremi iudicij. Probare conantur tum ex Scripturâ, tum ex Patribus. ex S. Script. adducunt hæc loca. Math. 20. v. 8. *omnes operarij simul accipiunt mercedem, & denarius datur vespere*; hoc est, in die iudicij extremi. 2. ad Timoth. 4. v. 8. dicit Apostolus. *reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Ad hebræ. 11. v. 40. ait idem Apost. *antiquos PP. non accepisse re promissiones, ut non fierent Beati sine nobis*. Ergo omnes simul beabimur. 1. Petri 5. v. 4. sic habetur. *cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilem coronam*. Et demum 1. Joan. 3. v. 2. *cum apparuerit (scilicet Christus) in secundo adventu, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est*. Ex Patribus afferunt hæc Testimonia. D. Justinus Q. 76. ait, *operum mercedem non obtingere ante Resurrectionem*. Irenæus L. 5. c. 31. scribit, *animas abire in locum invisibilem S. Chryost. Hom. 39. in 1. ad Corinth. anima, inquit, sine carne admiranda illis bonis non fruetur*. S. Bern. Serm. 3. de omnibus SS. hæc habet, *in illam beatissimam Dei domum anima nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis*. S. Ambros. L. 2. de Cain & Abel c. 2. dicit, *quod anima post finem hujus vitæ ad futuri iudicij diem ambiguo suspendatur*, Hilarius denique in Psal. 138. ait, *humana necessitatis legem esse, ut sepulchris corporibus ad Inferos anima descendant*.

**XI. Error**em hunc præter illa, quæ supra attulimus, refellit perpetua praxis universæ Ecclesiæ Festa Sanctorum celebrantis in signum gratulationis de obtenta cælesti gloria. Et certè si noluit Deus mercedem operarij vel unico die differi apud homines juxta illud Levit. 19. v. 13. *non morabitur apud te opus mercenarij tui usque mane, quomodo credibile videri potest, ipsumet Deum*



servorum suorum mercedem per tot sæcula dilaturum?

XII. Respon. 1. ad probationem ex Scriptura. Math. 20. *vesperi* hoc est, in Die iudicij redditum iri omnibus perfectam & plenam mercedem, nempe beatitudinem etiam Corporis, quam omnes simul accepturi sunt; & quidem publice coram toto genere humano; quamvis illud *vesperi* intelligi etiam possit de fine vitæ: & tunc particula *simul* non est curanda, cum in parabolis non omnia quadrare debeant rei significatæ. 2. ad Timoth. loqui etiam Apostolum de plena corporis & animæ retributione, eaque solenni & publicâ in conspectu totius mundi, ut ipsamet verba innuunt. Sensum D. Pauli in Epist. ad Hebræos esse, quod antiqui Patres non acceperint repromissionem beatitudinis sine nobis, hoc est, prius quam etiam in novo Testamento morientibus cælum esset apertum. Ita Cornelius à Lapide, Tirinus, & alij. 1. Petri 5. Sermonem quoque esse ibi de plena perfecta que beatitudine etiam corporis, quam accipimus cum in ultimo iudicij die apparuerit Princeps pastorum Christus. 1. Joann 3 illa verba, *cum apparuerit*, non esse intelligenda de Christo apparente, sed quando manifestum fiet toti Mundo, quam mercedem accepturi sint Iusti, tunc enim similes erimus Christo in animæ & corporis puritate, in impeccabilitate, immortalitate, impassibilitate & fruitione eiusdem Boni infiniti &c. Ita cit. Authores.

XIII. Respondetur 2. Ad probationem ex Patribus, qui à S. Scriptura non dissentunt. D. Iustinum etiam intelligendum de mercede plena corporis & animæ, quando totus homo animo & corpore gaudebit, aut legebis. s. *terentium* per locum inuisibilem intelligere cælum empyreum, quod non videmus. Non inficiatur igitur, animas Sanctorum esse in cælo, & videre Deum, sed solum innuit, illas non esse nunc in illa perfecta beatitudine, in qua est Christus, qui corpore & animo beatus est. D. Chrysostomum aliud non velle, quam nonita semper Animam fructuram bonis, quin aliquando etiam corpus in consortium gloriæ admitatur; cæterum apertissimè tenet alibi veritatem Catholicam. S. Ambrosium non loqui de incertitudine beatitudinis, sed de die ultimi iudicij, quem Deus adhuc celat. S. Hilarium locutum esse de veteri testamento; tunc enim cælum adhuc erat clausum, & hinc dixit Paulus ad Hebræ. 11 supra cit. illos Veteres ante novi testamenti Sanctos cælum non fuisse ingressos. S. Bernardus & ipse etiam Augustinus videntur aliquando dubitasse de loco, ubi animæ futuræ sint ante resurrectionem, item an beatitudo animarum post resurrectionem maior sit futura? Et si etiam de re ipsa dubitassent, nihil contra nos inferretur; quia prima definito dicitur ante annos trecentos primùm facta à Benedicto Papa. (quem alij XI. alij XII. numerant.) in Extrau. Benedictus Deus &c. quæ tamen non reperitur in corpore Juris, sed privatim ab aliquot Scriptoribus refertur apud Sanderum. Videatur Bellarm. L. 1. cit. c. 1. & 5. ubi clarissimè ostendit, S. Augustinum de ipsa Beatitudine non hæsisse dubium. Bernardum etiam non dubitasse de visione simplici, sed solum de perfecta, quam habebit anima, quando toto impetu in Deum feretur.

CONTROVERS. XLII.

DE CULTU SANCTORUM.

Antè hęc Strictissimè accipiuntur, nempe pro ijs, qui non solum privatâ hominum opinione, sed etiam publico & solenni iudicio Ecclesiæ tanquam Beatorum cælorum incolæ censentur, & publicis honoribus colendi proponuntur, ac communiter Canonizati appellantur. Olim quidem cuilibet Episcopo licebat, imò communi populi devotioni permittebatur declaratio Sanctorum publice colendorum, ut colligitur ex S. Cypriano L. 3. Epist. 6. Sed quia experientiâ compertum fuit, Populum vano rumore aut falsis miraculis deceptum eos pro Sanctis coluisse, qui non erant Sancti, ut multis exemplis ostendit Bellarm. L. 1. de Beatitut. SS. c. 8. idcirco Romanus Pontifex tanquam supremus Iudex hoc iudicium de Sanctitate & cultu Sanctorum ab annis jam 500. & amplius sibi reservavit. Interim licet cuilibet privato nomine & privato cultu eum colere, quem censuerit Sanctum, ut exponit Bellarm. loc. cit. cap. 10. hoc præmissis.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

1. Doctrina prima. Sancti rectè coluntur propter intrinseca dona supernaturalia, adeoque plus quam cultu merè Civili, quo homines se se mutuo prosequuntur. Ita omnes Catholici. Probat 1. exemplis veteris Testam. Josue 5. v. 13. cum Josue audisset ab Angelo, quod sit Princeps exercitus Domini, cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait: quid Dominus meus loquitur ad servum suum. Et hunc cultum approbavit Angelus, imò majorem exegit subjungendo: solve calceamenta pedum tuorum, locus enim, in quo stas, sanctus est (scilicet propter præsentiam Angeli) scilicet Josue quod sibi erat imperatum. 3. Reg. c. 18. v. 7. dicitur: cum Abdias esset in via, Elias occurrit ei, qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, & ait: num tuus Domine mi Eli? Ecce honorem, quem Abdias exhibuit Eliæ, & ipse admisit; Abdias autem; uti cit. cap. habetur, erat Administrator domus Regiæ Achab. & Princeps, & tamen Eliam virum simplicem sed gratiâ Dei eximium honoravit. Danielis 2. postquam Propheta somnium Regi Nabuchodonosori sapientissimè exposuit, ait Sacer textus v. 46. Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Damaem adoravit, scilicet propter donum interpretationis à Deo ipsi concessum; plura exempla afferuntur ab alijs. In novo Testamento Christus de Martyribus Apoc. 3. v. 21. ait: qui viderit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & sedet cum Patre meo in throno ejus. Et Apostolus ad Rom. 8. v. 17. Si autem Filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur &c. cum ergo Sancti fuerint Christi com-



sto compassi, & cum ipso sustinerent, ac proinde cum ipso glorificari illis coiregent, cur eisdem honor & veneratio eximia non debeatur.

II. Probat 2. Auctoritate Conciliorum & Patrum. Concilium Gangrense Anno 336. celebratum can. 20. sic definit: *Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans conventus, qui per loca & Basilicas S. S. Martyrum sunt, vel acciderit, vel etiam oblationes, quae ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriamque Sanctorum contemnendam, anathema sit.* Ubi vides; ex praxi Ecclesiae Basilicas in honorem & memoriam Sanctorum fuisse aedificatas, & solennitates celebratas. Concilium Carthaginense primum Anno 390. c. 2. sic decernit. *Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet; ubi etiam pœnas injungit.* S. Hier. nym. in epist. ad Riparium: *adoramus, inquit, servos, ut honor servorum redamur ad Dominum.* S. Augustinus S. r. m. i. de de SS. Petro & Paulo: *Beatissimum Petrum, inquit, Piscatorem modo genibus provolutus adorât multitudo Gentium.* Idem in Psal. 96. objicientibus Ethnicis; quod Christiani colant Angelos, respondet: *Utinam & vos colere velletis, facile enim ab ipsis disceretis, non illos colere; hoc est, ut Deos, sed ut Sanctos.* Rufus contra Faustum. L. 26. c. 21. objicientem Christianis Idolatriam in cultu Martyrum, respondet, *à Christiana coli Martyres, sed non Latria. & ideo non esse idolatriam.* S. Greg. Nilfen. in oratione ad S. Theodorum sic eundem alloquitur: *ut servus fidelis Deum adorans: ad nos, qui te colimus, & adoramus, accede.* Quid clarius pro cultu Sanctorum? plura videri possunt apud Bernardinum Vetweis in Speculo Ecclesiae fol. 230. & alios.

III. Probat 3. Ratione. Sac. Scriptura testatur; Sanctos à Deo honorificandos & glorificandos Joan. 12. v. 26. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit illum Pater meus.* Psal. 138. v. 17. *mibi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.* 1. Reg. 2. v. 30. *quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Ad Rom. 2. v. 6. *qui reddet unicuique secundum opera ejus;* ipsi quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem &c. & v. 10. *gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Cum ergo ipse Deus sanctos suos glorificare velit, atque honorem & gloriam ipsis conferat; cur nos Deum imitari, & Sanctos colere & honorare propter excellentiam ipsis collatam nequeamus?

IV. Doctrina secunda. Sancti in Cœlo, ipsa etiam gloriosissima Dei Mater Maria non eo modo coli possunt, quo colitur Deus, sed longè inferiore, scilicet ut Amici Dei; adeoque Beatissima Virgo tanquam Deipara cultu Hyperdulia: cæteri vero cultu Dulia. Ita omnes Catholici DD. cum S. Thomâ 3. P. Q. 25. a. 5. ubi hæc habet: *Respondendo dicendum, quod, quia Latria soli Deo debetur, nulli creaturæ deberi potest, prout creaturam secundum se veneramus; licet autem creaturæ insensibiles non sint capaces venerationis secundum se ipsas, creaturæ tamen rationalis est capax venerationis secundum se ipsam, & ideo nulli plura creaturæ rationali debetur cultus Latria.* Cui igitur Beatissima Virgo Maria sit pura Creaturæ rationalis; non debetur ei cultus Latria, sed solum dulia; eminentius tamen quam cæteris creaturis, in quantum ipsa Mater Dei est. Et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia. Huic discursui S. Doctoris objici potest. Motivum dulia idem est cum motivo latria. Ergo hoc ipso, si Sancti & B. Virgo Maria cultu dulia coli possint, latria quoque coluntur.

Probat 4. Antecedens; quia Dulia videtur se habere ad Latriam, sicuti se habet amor proximi propter Deum ad amorem ipsius Dei. Atqui utriusque amoris motivum est idem. Ergo etiam utriusque cultus erit idem motivum. Major probatur; quia Sancti coluntur propter excellentiam quandam supernaturalem. Ergo ultima ratio eos colendi videtur esse Excellentia Dei. Respondetur cum eodem S. Thomâ 2. 2. Q. 25. cit. a. 1. & communissima Theologorum; Negando Antecedens. Ad probationem hujus dicimus, discrimen esse; quod in amore proximi propter Deum, Deus fit finis Cui, & ejus Bonitas sit, quæ excitet ad amorem; hoc autem amato nullam esse amplius difficultatem in amando proximo propter Deum, cum proximus tantum ametur, ut medium, sive ut aliquod bonum extrinsecum Deo procurandum. At verò in colendo homine propter excellentiam propriam & distinctam realiter ab excellentia Dei (non obstante respectu transcendentali ad excellentiam Dei) specialis est difficultas, quæ non hoc ipso est superata, quod moveamur ab honestate colendi Deum propter excellentiam propriam. Sic Angeli à principio superarunt quidem difficultatem in adorando Deo, non tamen in submittendo se Humanitati Christi, ut alibi docent Scholastici.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

V. Error primus est. Sanctos non esse colendos. Ita post antiquos Wicleff, ut refert Thomas Waldensis Tom. 3. tit. 13. Lutherus in Evan. Dom. 23. post Pentecost. ubi ait: *quid enim cultus Sanctorum & veneratio aliud sunt, quam res diabolica? &c.* Et Calvinus Instit. c. 12. §. 2. sic pronuncians: *Quem Sanctis cultum deferunt Papista, nihil re ipsa differt a cultu Dei, palam est.* Huic sequuntur Calvinista apud Amel. Tom. 2. fol. 159. Illum Lutherani apud Gerhard. L. 2. Parte 2. fol. 551. ajunt, *Cultum Religiosum soli Deo deberi: Sanctis vero non nisi Civilem formaliter à Religioso distinctum; Ut ideo Magdenburgenses Lutherani Cent. 1. L. 2. c. 4. dicant, omnes Sanctorum adorationes esse idolatriam.* Probant primo ex Sac. Scriptura Deut. 6. v. 13. *Solum Deum tuum adorabis & illi soli servies &c.* quæ verba repetuntur Matth. 4. v. 10. & negans Christus diabolo adorationem videtur docuisse; nulli creaturæ posse comperere adorationem, sed soli DEO; unde etiam Paulus 1. Tim. 1. v. 17. *soli DEO, inquit, honor & gloria.* Probant secundo diversis exemplis ex Sac. Scriptura desumptis. Mardocheus Esther 3. v. 3. *noluit flectere genu, nec adorare Aman;* Petrus Actor. 10. recusavit Adorationem Cornelijs, quia, inquit, *& ego ipse homo sum.* Angelus Apocal. 22. v. 9. cum Joannes Apost. adorare ipsum vellet, vide, inquit, *ne feceris, conservus enim tuus ego sum, Deum adora, nec Angelus autem, nec Petrus recusarunt cultum Latria, quia hunc dase Cornelius & Joannes noluerunt. Solum igitur Dulia cultum à se repulerunt.* Probant tertio ex Concilio Laodicensi, quod can. 35. sic statuit: *Non oportet Christianos derelictâ Ecclesiâ abire, & ad Angelos idolatriam*



latria abominanda Congregationes facere; quicumque autem inventus fuerit, occulta huic idololatria vacans, anathema sit, quoniam derelinquens Dominum Deum nostrum JESUM Christum Filium DEI accessit ad idola.

VI. Error iste sufficienter rejectus fuit in prior parte. Labet solum percontari ex Adversarijs. Si Turcæ Christum tanquam Prophetam eximium venerentur, an debito divinæque cultu illum prosequantur? negant certè. Et cur? nunquid verus est Deus, quem venerantur? est, inquit; at ipsi ut talem suâ intentione non venerantur, siquidem illi excellentiam solummodò creatam tribuunt. Bene. Dicant ergo Sectarij, qui fieri possit, ut nos, qui in Sanctis & creaturam agnoscimus, & non nisi propter excellentiam creatam eandem veneramur, habeamur idololatræ?

VII. Respondetur ad 1. probationem in omnibus istis & alijs Sac. Scripturæ locis sermonem esse de cultu latriæ soli Deo vero debitæ, & non dijs Gentium, aut ulli creaturæ: & talem cultum latriæ petijisse demonem à Christo exhiberi, quia justificavit se Dominum totius mundi. Ad 2. ex varijs exemplis Sac. Scripturæ: Mardochæus negavit Amani cultum divinum; quippe publicè constabat, Aman divinòs sibi honores poposcisse; etenim Persarum Reges sibi tanquam dijs divinos honores in publicis & solennioribus actibus vendicasse, atque alijs etiam, quos eximie honoratos vellent, deferri jussisse, tam multis testimonijs & exemplis astruunt etiam Ethnici Scriptores Isocrates; Strabo, Heliodorus, Martialis, Curtius, &c. ut nulli sit locus dubitationi. Mardochæus igitur nec voluit, nec poruit salvâ conscientia signum aliquod talis honoris Amani exhibere, ne cum scandalo plurimum quemquam adoraret præter Deum; timebam enim, inquit ipse c. 13. v. 13. & 14. ne, si superbissimum Aman adorarem, honorem DEI mei transferrem ad hominem; alioquin si solo cultu civili adorari voluisset, libenter pro salute Israël etiam vestigia pedum ejus exosculari paratus fuisset. Videatur Tirinus in locum cit. ubi D. Thomam, Suarez, Vasq. & alios pro hac doctrina allegat. D. Petrus etiam cultu duliæ adorari recusavit tum modestiæ causâ, tum maxime, quia tam profunda prostratio poterat Judæis comitibus hujusmodi ceremoniæ inflicta quasi latriæ videri, ac proinde scandalo esse. Quare nolo, inquit, à te talem mihi deferri honorem, qui Angelis potius debetur; etenim purus sum homo, atque ideo instar puri hominis comiter ac familiariter agere vobiscum cupio. Similiter in Apocalypsi Angelus insigni modestiâ & civilitate adorari recusat à Joanne, quia *conservus* (Syrius fodalus) *tuus sum*. q. d. ego non sum te superior dignitate, cur ergo me adores? Tu enim es Propheta, & Apostolus, es Evangelista & Prædicator Verbi DEI (hæc enim nomen Propheta significat) es continuus Martyr assiduus pro Christo labores & dolores sustinens, ideoque par imò superior es Angelis non natura, sed dignitate & merito, erisque brevi etiâ præmio & gloriâ in Cælo superior. Canon Concilij Laodicensis damnat cultum magicum, quem aliqui demonibus exhibebant, ut testatur Tertulianus in Apologetico c. 23. Cæterum illud ipsam Concilium can. immediate præcedente 34. admittit cultum SS. Martyrum.

VIII. Error secundus est eorundem hæreticorum, Sanctos & maxime Deiparam Virginem adorari cultu Latriæ. Conantur istud hoc tempore

singulariter inculcare suis Lutheranis & Calvinistis Prædicantes tum plerique omnes, tum nominatim in suis scriptis Hailbrunner, Hanneken, Gerhardus, Amelius, Molinaus &c. ut ita nos Catholicos tanquam Idololatrias ipsi exosos reddant, & suos à Romana Ecclesia absterreant. Probat 1. Adorare religiose idem est inseparabiliter cum servire Deo, seu colere latriâ: nec illius declaratio, absque hujus dari potest. 2. Catholici patrem gloriam & reverentiam exhibent Deo ac Beatissimæ Virgini, cæterisque Sanctis; siquidem frequenter ex eis audiuntur, imò & in libris leguntur hujusmodi effata & elogia: *Laus Deo, Virgineque Mariae. Ad majorem Dei, Deiparæ, Virginis Mariæ & omnium Sanctorum gloriam, & honorem.* 3. Deipara Virgo etiam Dea appellatur, & ea, quæ Dei sunt, illi appropriantur, ut singulariter videre est in Psalterio Bonaventuræ ad modum Psalterij Davidici concinnato.

IX. Pro hujus erroris refutatione studio adduxi in prior parte proluxa verba D. Thomæ ex 2. P. Q. 25. a. 5. ut clarissimè appareret ex Catholica doctrina, nec Beatissimam Virginem, nec ullum Sanctum aut Angelum coli cultu Latriæ, quem soli Deo proprium esse constanter asseveramus. Fuerunt quidem antiqui hæretici, teste Epiph. hæret. 79. qui Deiparam pro Dea habuerunt sacrificantes ei collyridem, à qua Collyridani dicti sunt, sed ab hac nos hæresi remotissimi sumus, & rumpentur prius millies hæretici, quam nos Catholicos illius reos convincent. Verba hæc D. Augustini Tom. 6. L. 20. contra Faustum c. 21. *Illo cultu, quæ græcè Latria dicitur, Latine vero uno verbo dici non potest, cum sit quedam propria Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.* Hæc, inquam, verba etiam nostra sunt: Latriâ nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum DEUM: non Beatissimam V. MARIAM non ullum Angelum, non Sanctum, non creaturam ullam aliam. Unde

X. Respondetur ad 1. Probationem. Negando, hæc duo religiose colere; & servire DEO, seu Deum latriâ colere esse inseparabiliter connexa, sed ex perverso ingenio suo fingit Meno Hanneken in Irenico suo fol. 465. Non posse autem Duliam explicari absque Latriâ profusus ignoranter sibi persuadet Hailbrunner in suo Papatu Catholico fol. 219. Est enim differentia inter Latriam, Hyperduliam, & Duliam ex corporis constitutione externâ & oculorum elevatione, manuum extensione, genuum inflexione conjuncti non possit, nullus tamen hominum adeo crassus & rudis est, quin advertat internum animi sui sensum, & discrimen inter servitutis subjectionem, quam homo habet erga Deum; & quam habet erga Sanctos Dei quæ amicos; quippe mens mea se Deo subjeit tanquam omnipotenti Numini, & Salvatore non æquè ulli Sancto aut Angelo, sed solum, ut dixi, tanquam DEI Amicis, qui intercessionem suâ adjuvare nos apud Deum possint, ut magis ex sequenti Controv. constabit.

Ad 2. Negando iterum, nos Catholicos eundem honorem & gloriam exhibere DEO, & B. Virgini, ac cæteris Sanctis, dum simul DEUM, Beatissimam Virginem, ac cæteros Sanctos laudamus; aliàs Jud. 7. v. 28. Gedeon pessimè fecisset præcipiendo suis militibus, ut clamarent: *Domino & Gedeoni.* Laus & laudis paritas non consistit in Verbis, Quando igitur iisdem verbis dicimus:



dicimus: *Laudes DEO, & Beatae Virgini*, damus laudem Deo, ut Deo: *Mariae* vero tanquam *Matri Dei & Creaturae* praecipuae inter omnes Sanctos & Angelos in Caelo.

X. Ad 3. Quando subinde eadem verba erga B. Virginem adhibentur, quae ad Deum usurpantur, semper illa longe inferiore sensu & aestimatione sumuntur erga Beatissimam Virginem, quam erga Deum; perinde ferè, ut David Psal. 81. v. 6. etiam homines appellavit Deos: *Ego dixi, Dii estis & filij excelsi omnes &c.* quae tamen verba non secundum aequalitatem, sed secundum participationem intelligenda sunt. Hinc diligentissime ista aurea verba S. Hilarij ad Constantinum Imperatorem observari oportet: *Sensus, non sermo crimen est.* Hoc nisi observent Adversarij, se ipsos ejusdem criminis reos faciunt, cujus nos tam severe accusant. Nam Leonardus Coquæus in Examine Praefat. monitoriae Jacobi I. Regis Magnae Britanniae testatur paginâ 210. edit. Friburg. Brisg. in folio Reginae Elisabethae in Anglia hoc Carmen fuisse decantatum.

*Salve Diva, tuæ Patriæ decus, optima Salve:  
Principes Elisabethæ, tuæ Dea magna Britanniae.*

Et mirum sanè, titulum magnae Deae absque injuria Dei tribui Reginae Calvinisticae; & si quis Catholicus eodem modo alloquatur Reginae Caeli, Dei quae Matrem Mariam talem fieri abominationem tantamque committi blasphemiam & idololatricam! Si dicant, nomen Deae in carmine illo aliter sumi, quam communiter accipi soleat, vel in Scriptura vel apud Ethnicos. Hoc ipsum respondentis nos Catholici; aliter verba sumimus de Deipara Virgine in Psalterio Bonaventurae: aliter de Deo ac Christo in Psalterio Davidis. Similiter multi alij effectus gratiae tribuuntur B. V. Mariae; non quod per se ipsos efficiat, sed quod Christum omnium gratiarum Auctorem peccerit, vel quod per illum & ab illo eos nobis impetraverit, ut optimè notat P. Franciscus Suarez. L. 2. defensionis Fidei Cath. c. 6. n. 17.


XIII. Urget Pet. Molinaeus in Neopap. fol. 585. Theodoretus lib. de divin. decret. Tit. de Spir. S. ut probet, Spiritum Sanctum esse DEUM, utitur hoc argumento, quod Dulia ipsi exhibeatur. Ergo etiam Sancti, & praecipue B. V. Maria à Papistis pro Dijs coluntur; quia illis Dulia exhibetur. Respon. Theodoretus loqui de supremo cultu Deo soli convenienti ac debito, clarè ex ipso textu patere; unde nomen Dulia non sumit secundum Ecclesiae sensum pro cultu creaturae competente, sed juxta primam suam impositionem, ex qua denotat quemlibet cultum absque discrimine, & solum ex subtrata materia determinatur, uti in praesenti accidit. Nam cum Theodoretus dicat, Christum in terram venisse, ut differentiam inter DEUM & Creaturam doceret: & mox subjungat, eundem utique non iterum praecipisse adorationem & servitutem creaturarum, non potest hoc nisi de sola divina servitute intelligi; siquidem neque DEUS protulit, neque Theodoro in mentem unquam venit, creaturis nullum prorsus cultum convenire. Solum igitur Molinaeus hoc evincit argumento suo, hic loci Theodoretum non sumpsisse duliam juxta communem & consuetum Ecclesiae usum, sed juxta primam ejus impositio-

nem accepisse, prout scilicet significat quemlibet cultum, sive is Deo sive creaturae exhibeatur, quod ex subiecta materia discerni oportet.



CONTROVERS. XLIII.

DE INVOCAZIONE SANCTORUM.

 Uperfluum omnino censei posset inter Christianos controverti, num Beati in Caelo Incolae, atque eximij Dei Amici invocari à nobis in hac miseriarum valle, & peti illorum apud Deum intercessio licite possit. Nam ex vario capite res haec ita luculenter apparet honesta ac laudabilis, ut dubitari possit, an inter homines ratione praeditos sit numerandus, qui id inficiatur. Nihilominus pro dolor! plurimi sunt tantis mentis tenebris obruti, ut non solum fulgentem hanc veritatis faciem non videant, sed errorem idololatricum proclamant, eumque omnibus machinis oppugnatum, imò extirpatum eant. Hi ergo caeco suo impetu nos cogunt ad catholicæ veritatis fundamenta paulo pluribus promenda, ut, si illos indignos responsione censeamus, veritati saltem pro merito patrocinemur. Sit igitur.



PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Sancti in Caelo orant pro nobis invocantur. Ita certa Sententia. Probatur. Tum ex Sac. Scriptura Apoc. 5. v. 8. viginti quatuor Seniores dicuntur cecidisse coram Agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum. Et L. 2. Machab. c. 15. v. 14. ubi dicitur: *hic est fratrum amator & Populi Israel, hic est, qui multum orat pro Populo, & universa Sancta juventute tremas Propheta Dei.* Tum ex communionione Ecclesiae Triumphantis cum Militante ad Hebr. 12. & Symbolo Apostolico. In quo autem nobiscum communicabunt, si non orent pro nobis?

II. *Doctrina secunda.* Beati in Caelo Angeli & Animae orant pro nobis etiam in particulari, & rectè pieque à nobis in hac vita invocantur, ut apud Deum pro nobis intercedant. Ita omnes Catholici, & in hoc versatur cardo controversiae, pro quo Concilium Trid. Sess. 25. ad initium de invocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, & sacris imaginibus. haec habet: *Manda Sancta Synodus Episcopis & ceteris munus curamq. sustentibus, ut juxta Catholica & Apostolica Ecclesiae usum à primævis Christianae Religionis temporibus receptum, S. S. Patrum consensum, & S. S. Conciliorum decreta; imprimis de Sanctorum intercessione, Reliquiarum honore, legitimo Imaginum usu Fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atq. utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia*



nescia impetranda à Deo per Filium ejus JESUM Christum D. N. qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum operam auxiliamq; confugere: illos vero, qui negant, Sanctos aeternâ felicitate in caelo fruente invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis ac singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarij, honori unius Mediatoris Dei & hominum JESU Christi, vel stultum esse in caelo regnantibus voce vel mente supplicare; impiè sentire &c. Et infra, damnandas esse, prout jam pridem eos damnavit, & etiam nunc damnat Ecclesia &c. Hæc Concilium. Ex quibus haud obscure apparet, hunc fidei Articulum potissimum Ecclesiæ traditione niti, quantumvis etiam ex Sac. Scriptura per bonam consequentiam deduci possit, præsertim tribus argumentis, quæ passim asserunt Auctores.

III. *Primum.* Si licet SS. Angelos invocare, etiam licebit homines Sanctos jam cum illis in caelo commorantes invocare. Sed verum est illud. Ergo &c. Sequela Probatur. Tunc quia Homines beati in caelis æquales sunt Angelis Luc. 20. v. 26. Tum quia si Deus Angelis revelat secreta cordium, quæ universaliter non sciunt, etiam Beatis revelabit. Tum quia si Angelorum patrocinium non repugnat divino honori, etiam non adversabitur patrocinium Sanctorum. Minor probatur ex Genes. c. 48. v. 16. ubi Jacob Patriarcha Nepotibus suis filijs Joseph benedicens ait: *Angelus, qui me eruit de omnibus malis, benedicat pueris istis &c.* Hic nomen Angeli sumitur propriè pro uno ex celestibus Spiritibus, non verò impropiè pro Filio Dei, Legato Dei Patris ad homines, ut his voluntatem illius aperiat, uti voluit Adversarij; unde Cornelius à Lapide in cit. locum notat, post vocem Angelus subintelligendam esse particulam quod, ut sensus sit: *Deus qui pasit me ab Adolescentia mea, Angelus quoque Custos, qui eruit me ex omnibus malis &c. benedicat pueris istis.* Scilicet ut Minister DEI. Non obstat, Cyrillum L. 3. thes. c. 1. & Athanasium L. 4. contra Arian. oppositum tenere. Nam horum duorum Auctoritas non præjudicat communi sententiæ aliorum PP. & DD. cum præsertim illorum interpretatio verborum proprietati ac rationi non satis congruat. Nam Missio in divinis præter processionem unius Personæ ab altera etiam effectum temporalem designat, ac quæ idcirco aeterna esse non potest, ut cum S. Thoma P. 1. q. 43. a. 2. docent Theologi; è quibus Arriaga Disp. 55. in 1. part. Missionem describit *apparitionem personæ procedentis*, ubi temporalem effectum quasi potiore rationem Missionis ponit in recto. Cum ergo Filius Dei ante Incarnationem non potuerit Patris voluntatem annunciare, non potuit dici Angelus tempore Jacobi Patriarchæ. Confirmatur. Tobia 12. v. 12. ait Raphael: *quando orabas cum lacrymis & sepeliebas mortuos, & delevinebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego orationem tuam obtuli Domino.* Hujusmodi habentur Apoc. 8. v. 3. Cur autem Angeli orationes nostras offerunt Deo? ut illas sciat? minime; cum prius habuerit eas perfectissimè cognitatas; ideo ergo offerunt, ut causam nostram apud Deum agant, & pro nobis intercedant; cur ergo ad hoc à nobis invocari nequeant? Certè de Angelis Custodibus negare non audet Calvinus; par autem est ratio de alijs.

IV. *Secundum.* Si Deum licet invocare per merita Sanctorum, tunc licebit etiam ipsos Sanctos

tanquam Mediatore adhibere. Sed verum est Antecedens. Ergo & Consequens. Sequela Majoris probatur: Si enim DEUS acceptat merita Sanctorum sibi proposita, multò magis acceptabit ipsos Sanctos, et interponentes. Minor Probatur ex Exod. 32. v. 3. ubi orans Moyse ait: *Recordare Domine Abraham Isaac & Jacob Sanctorum tuorum.* Psal. 131. v. 3. *memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Daniel. 3. v. 35. *neque auferas à nobis misericordiam tuam propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel Sanctum tuum &c.* Unde S. Augustin Q. 149. in Exod. circa illa verba Dei ad Moysem: *dimitte me, ut conteram illos, dicit: ut eo modo admoneremur, cum merita nostra nos gravassent, ne diligamur à Deo, relevari nos apud Deum eorum meritis posse, quos Deus diligit.* Non dicere possunt Adversarij, verba Moyse allegare solum Dei promissionem. Nam imprimis hoc falsum est de Davide allegante suam mansuetudinem. Deinde promissio illa facta est propter merita, adeoque vis hujus allegationis tandem resolvitur in merita; sicuti Abraham dictum est Genes. 22. v. 16. *quia fecisti hanc rem, & non pepercesti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi &c.*

V. *Tertium.* Si Justos in terris viventes eorumque preces implorare licet, etiam mortuorum in Caelis jam versantium preces invocare licebit. Sed illud verissimum est. Ergo &c. Sequela Majoris probatur; quia Sancti illi sunt perfectiores in charitate, & nos magis ac syncerius amant, quam quivis amicus in terris, eorumque preces habent plus momenti. Minor probatur ex Job. 42. v. 8. ubi ipse Deus hujus vitæ mediatores adhibendos suadet: *ite, inquit, ad servum meum Job, & orabimini pro nobis, faciem ejus suscipiam.* Ex 1. Regum. 7. v. 8. ubi Israelitæ rogant Samuelem, *ne cesses pro nobis orare ad Deum Dominum nostrum, ut salvet nos.* Ex Epik. ad Rom. 15. v. 30. *obsecro vos, inquit Apostolus, fratres per Dominum nostrum Jesum Christum ut adjuretis me in orationibus vestris apud Deum.* Negant Adversarij paritatem, tum quod de precibus vivorum petendis in Sac. Scriptura præceptum extet: non item de mortuis, tum quod viventium preces tantum civiliter petantur, non religiose, quasi Religio DEI esset propria, & sine idololatriâ alijs communicari non posset. Resp. ad 1. sufficiens similitudinem inter utrasque preces atque idcirco æquè has ac illas præcipi posse: multa etiam quæ præcepta non sunt, laudabiliter fieri posse, abunde constat ex Controv. XXXIX. Ad 2. Religionem omnibus spiritualibus suam, ut merentur, tribuere cultum, adeoque non solum Deo decernere proprium ac summum cultum, nempe Latrariam, sed etiam Angelis & Hominibus sacra ac supernaturali excellentiâ v. g. Fidei, Gratiæ, Beatitudinis, Sacri Ordinis &c. præditis suum assignare cultum, licet multò inferiorem, nimirum Duliam.

VI. Porro Conciliorum decreta, & Patrum consensus, quorum supra S. I. doct. 2. meminit Conc. Trid. videri possunt apud Cæd. Bellarminum L. 1. cit. c. 19. Bernardinum Verweis fol. 243. in Spec. Eccles. Becannum in Manuali fol. 199. & alios. Pauca ista nobis sufficiant. In Conc. Chalcedon. art. 11. exclamant Patres: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat?* Synodus 7. generalis, quæ est Nycænum secundum, art. 6. in fine: *cum timore, inquit, omnia agamus postulantes intercessionem incontaminata Deipara: item SS. Angelorum:*



vum : *Omniumque Sanctorum.* Quid clarius ? S. Irenaeus L. 5. contra haeres. ultra medium, sic ait : *Et sicut Eva seducta est, ut esseret Deum, sic haec (Beatissima Virgo Maria) iussa est obedire DEO, ut Virginitas eius Virgo fieret Advocata.* Basil. orat. in quadraginta Martyres : *qui aliquam premittunt angustiam, ad hos confugiat : qui rursus latatur, hos orat : ille ut à malis liberetur : hic ut duret in rebus lais.* S. Hieron. in epigraph. Paulae circa finem : *vale o Paula. & Cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuva ! fides & opera tua Christo te faciant, praesens facilius, quod postulas, impetrabis.* Quid clarius ? D. August. Tract. 84. in Joan. *ideo, inquit, ad ipsam mensam non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, ut ipsi pro nobis orent.* Item Sermone 17. de verbis Apostoli : *habet Ecclesiastica disciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitant ad altare Dei, ut non pro ipsis orantur, pro ceteris autem defunctis oratur ; injuria enim est pro martyre orare, cuius nos debemus precibus comminari.* Hos solum ex quatuor primis saeculis lubuit adducere, & tacere omnes sequentium saeculorum prope innumeros D. D. verè Apostolicos, qui aut Sanctos invocarent, aut pie atque utiliter invocari posse docuerunt. Et quid claritius desiderari potest ?

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VII. **E**rror primus est, Sanctos non audire, nec intelligere preces nostras. Ita Luthertani apud Gerhard. L. 2. P. 2. à fol. 554. & Calvinistae apud Amesium Tom. 2. fol. 205. impie juxta ac scurriliter hac in re de Sanctis loquentes, quasi longas aures habere deberent à Caelo in terram porrectas, *quis, inquit Calvinus L. 3. Instit. c. 20. §. 24. eorumque longas illis aures revelavit, quae quoad voces nostras porrigantur ? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent.* Probant ex his textibus Sac. Scripturae 3. Reg. 8. v. 39. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Ecclesiast. 9. v. 5. *viventes sciunt se morturos, mortui vero nihil noverunt amplius.* Job. 14. v. 21. *Sive nobiles fuerint filij eius sive ignobiles, non intelliget scilicet post mortem.* Isaia 13. v. 14. *Abraham nescivit nos : & Israel ignoravit nos.* Hinc Adversarii videntur asserere, nos esse idololatras, & Sanctos facere perinde, ut Deum, omniscios : se verò hanc abominationem à se remove- te negando Sanctis notitiam nostrarum precum, & intercessionem pro nobis ad Deum. En radicem totius mali.

VIII. Errorem istum aperte rejiciunt S. Augustinus Lib. 22. de Civit. Dei c. 29. Prosper Aquitanus L. 1. de vita contempl. c. 4. Gregorius M. L. 4. dialog. c. 3. Beda ad c. 16. Lucae, & alij, quibus cum tenendum, Sanctos cum Christo regnantes in caelo nostras audire orationes. Tum quia Angeli cognoscunt nostras orationes Tobiae 12. v. 12. *internam penitentiam & conversionem peccatoris* Luc. 15. v. 10. *omnem cultum Deo exhibitum.* Psal. 117. v. 1. Tum quia Sanctis in hac vita saepe conceditur, ut cognoscant occulta aliorum etiam absentium desideria, machinationes, actiones &c. ut Samueli 1. Reg. 9. v. 19. Elisaeo 4. Reg. 5. v. 25. & ibidem

c. 6. v. 9. Danieli 2. v. 26. S. Petro Act. 5. v. 1. & innumeris alijs Sanctis novi Testamenti, ut videre est in eorum vitis. Tum quia lex amicitiae requirit, ut amicus amico manifestet ea, quae ad ipsum pertinent juxta illud Christi Joan. 15. v. 15. *Jam non dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus : vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Cum ergo Sancti in caelo sint amici Dei, lex amicitiae requirit, ut Deus manifestet illis orationes nostras, quae ad illos diriguntur. Unde supponere videntur Doctores perinde esse de Fide, Sanctos scire preces nostras, ac eodem rectè invocari, atque utrumque eadem antiqua niti traditione ; siquidem prius rectissime inferitur ex posteriore. Bernardinus Verweis tamen in speculo fol. 249. existimat, non esse certum de fide, quod Sancti in particulari nostras necessitates & orationes sciant ; quia, inquit, absque hoc subsistere potest articulus fidei de Invocatione & auxilio Sanctorum, cum sufficiat, quod generaliter Deum pro omnibus illis in particulari orent, qui illorum patrocinium implorant apud Deum omnia videntem & audientem. Verum ex communi sensu Ecclesiae & Patrum haec duo inseparabiliter connectuntur : *Sancti rectè invocantur. Ergo noverunt, quod postulamus.* Quid hi igitur eadem fide utrumque tenendum ? Quomodo autem Sancti preces nostras agnoscant, non convenit inter auctores, pro quo.

IX. Advertendum ex communi ferè Theologorum Sententia cum D. Thom. 1. Q. 12. Beatos in Caelo praeter ea, quae sunt formaliter in Deo, videre de facto 1. mysteria, quae hic crediderunt. 2. omnes species rerum naturalium, quibus hoc universum constituitur, eorumque proprietates, & totum ordinem universi. 3. quaedam ex possibilibus, plures tamen vel pauciores pro ratione meriti Sanctitatis & luminis gloriae. 4. quae ad statum cujusque pertinent juxta ordinem divinae sapientiae, quae pietatis & intercessionis impetrandae causa ad quemvis illorum à viventibus diriguntur. 5. totum ordinem & seriem suae praedestinationis, hoc est, quae charitate motus Deus ipso ab aeterno elegerit, quem modum in tempore tenuerit, quae media naturalia & supernaturalia adhibuerit &c. Franciscus de Lugo D. 24. Tom. 1. c. 3. n. 20. & praeter multos alios Card. Bellarm. L. 1. cit. c. 20. putant, omnia haec videri formaliter in Verbo & in principio visionis, quae videtur fuisse opinio S. Gregorij loc. supra cit. sic Scribentis : *quid est, quod nesciant, qui scientem omnia sciunt, quasi diceret : intuentes Deum vident omnia in ejus sapientia quasi depicta.* Verum probabilius existimat Tanner Tom. 1. D. 2. Q. 6. dub. 10. Beatos in Caelo successu temporis aliqua contingentia ad se pertinentia v. g. preces Fidelium aliquando ad ipsos fundendas casualiter solum cognoscere, adeoque aliter, quam in Verbo, nimirum per revelationem peculiarem ipsius DEI, vel Angelorum, pro qua sua sententia assert n. 8. D. Augustinum & alios Auctores. Ratio esse potest, quia si S. Petrus v. g. statim ab initio vi visionis invariabilis videret omnia ad suum in terris Christi vicariatibus statum pertinentia, sciret etiam extremum judicij diem, quod est contra communem Theologorum sententiam, & clara verba Christi Matth. 24. v. 36. *de die autem illa & hora nemo scit neque Angeli caelorum, nisi solus Pater.* Nunc,



X. Responderur ad 1. *textum Sac. Scripturae ex 3. Reg. multa soli Deo in Scriptura tribui; quæ etiam alijs conveniunt, sed diverso sensu; quæ enim Deus ex se & propria virtute habet, etiam alij habere possunt per participationem & concessionem à Deo.* Sic igitur solus Deus ex se novit corda hominum; quorum tamen cognitionem etiam homines habere possunt à Deo per revelationem. *Ad 2. Ecclesiastæ 9. Sensum esse, viventes, quia sciunt se morituros, possunt agere penitentiam, & prospicere sibi de remedio salutis, ne æternum pereant: at mortui, qui hic neglexerunt penitentiam, nullum amplius novèrunt medium, quod prodesse illis posset.* vide August. in Enchir. c. 110. *Ad 3. Jobi 14. Sermonem esse de homine carnali, qui in vita hac valde sollicitus est de suis filijs circa honores & divitias; & post mortem in inferno non prodesse illi hanc sollicitudinem, quia nesciet, quid de illis agatur, & in quo statu sint.* Ita Greg. L. 12. Moral. c. 14. *Ad 4. Isaia 63. Sensum juxta præcedentia verba: tu enim Pater noster &c. esse hunc: Abraham & Isaac non curant nos, sed sperant & abiciunt nos; offensi sunt nobis; quia nos Te offendimus.* Ita Hieronym. Cyrillus & alij Patres; apud Tirinum; Unde fatetur Calvinus, nihil hinc contra invocationem Sanctorum evinci. Sed deimus locum hunc Isaia intelligi debere, prout illum Adversarij intelligunt, nihilominus nobis non officit; etenim licet Abraham & Israël tunc ignoraverint, quid in terris ageretur, non tamen modo similis est ratio cum Sanctis; quia illi nondum visione fruebantur; idèque hæc terrena ignorasse mirum non est: Sancti verò cum nunc ipsum Deum & omnia in ipso videant, aut certò ipsis revelentur, etiam quid nos agamus, scire possunt, idèque merito invocantur.

XI. *Error secundus est. Sanctos non esse Religiosè invocandos.* Ita Lutherani apud Gerhard. Lib. 2. Part. 2. à fol. 549. Calvinistæ apud Ames. Tom. 2. fol. 203. è quibus catechismus Heidelbergensis Q. 9. absolute pronunciat, Invocationem Sanctorum esse idololatriam. *Probant 1. ex S. Scriptura. 1. ad Timoth. 2. v. 5. unus Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus.* Ergo non possunt esse plures scilicet tot, quot Sancti, qui intercedere dicuntur. Act. 4. v. 12. *Non est aliud Nomen sub Cælo, in quo nos oporteat, salvos fieri.* Ad Rom. 10. v. 14. *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt.* Ergo cum in solum Deum credamus, solum etiam hunc invocare debemus.

XII. *Probant 2. Ex Concilijs & Patribus In III. Carthag. Concilio can. 22. sic fuit statutum. Cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.* Ergo non licet ad Sanctos dirigere. Ignatius Martyr epistola ad Philadelphicos scribit: *vos virgines in vestris orationibus solum Dominum Christum & Patrem Domini Christi ante oculos habete* Origenes L. 10. contra Celsum. *omnes deprecationes & gratiarum actiones destinandæ sunt ad Deum.* Chrysost. Hom. de profectu Evangelij. *non opus est Patris apud Deum.* Et Ambros. in epist. 1. S. Pauli ad Rom. ad Deum promerendum *Suffragatore opus non est.* Tertull. L. 4. adversus Martionem: *qui alium invocat, quam verum Deum, non orat, sed blasphemat.* Et in Apologet. c. 30. *ab alio orare non possum, quam à quo sciam, me omnia consecuturum, quoniam & ipse est, qui solus prestat.* & L. de Tri-

nit. c. 11. *Invocatio hominum ad præstandam salutem inefficaciam inducit.* Jrenæus L. 2. c. 57. *Ecclesia in invocationibus Angelicis nihil facit, sed omnem orationem dirigit ad Dominum.* Lactant. L. 2. *Iustus c. 18. manifestum est, eos, qui vel mortuis supplicant, vel terram venerantur, impietatis sceleris sui supplicia persuros.* D. Augustinus de vera Relig. c. 55. *non sic, inquit, vobis Religio cultus hominum mortuorum; quæ si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales querant homines, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante latentur, nos meriti sui esse conservos.* Honorandi agitur sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Demum Greg. Nazian. primus fuit ex PP. in cuius Scriptis invocatio Sanctorum reperitur, sic tamen, ut ipse dubitet, num Sancti preces nostras audiant.

XIII. *Probatur 3. ex lege Naturæ, cujus principijs & dictaminibus ejusdem lumine cognitæ repugnat.* 1. horum est. Deus solus est fons & origo omnium beneficiorum. Ergo à nullo quam ab ipso bona petenda sunt. 2. Deus Naturæ suæ adeo benignus & misericors est, ut non egeat monitoribus, ac impulsoribus, proindeque signum est diffidentia de divinâ bonitate, altèctius patrociniû & intercessionem sibi procurare & importare. 3. Quod fieri potest paucioribus, non debet fieri pluribus, sed paucioribus assequi possumus beneficia divina, si ad ipsum Deum immediate accedamus ad Hebr. 7. v. 25. *unde salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis &c.* quid ergo circumcurimus ad consequenda Sanctorum suffragia? 4. Patrociniû Sanctorum sapit aliquem Ethnicismum; Nam Gentilibus pro varijs negotijs varij præsidebant Dij, alius pro pace, alius pro tempestate &c. sic Pontificij credunt Raphaelè & Jacobum præesse viatoribus. S. Nicolaum Navigantibus, S. Leonardum captivis. S. Rochum pestiferis. S. Sylvestrum bobus. S. Antonium porcis. &c. 5. Experimur de facto, sæpe frustra invocari Sanctos in morbis & alijs periculis: nec ullum ab illis suppeditari auxilium. Quid ergo frustra eos dem invocamus, 6. Sanctorum meritis debitam mercedem jam in solidum à Deo fuisse persolutam. Quid ergo reliquum est, propter illorum merita postulandum? 7. Aliqui ex Sanctis, qui in Papatu invocantur, nunquam in rerum natura fuerunt, ut Georgius, Christophorus, Longinus. Quid ergo ad istos Sanctos confugiamus, aut ab ijs speremus? Invehitur demum Molinæus fol. 586. in Legendas Sanctorum, & hæcè ridiculas, stultas, & fabulis ac figmentis plenas esse affirmat.

XIV. Non potuerunt hæretici nostri temporis evidentius vulgare, nihil sibi suisque commune esse cum Sanctis cælestiâ gloriâ fruentibus, quam cum non satis haberent, Sanctos inscientiâ notâ denigrare, atque idololatriæ accusare omnem nostram illorum venerationem & invocationem, nisi insuper apertè propalarent suam à Sanctis animorum abalienationem usurpantes communi sensu verba illa Calvinii L. 3. Instit. c. 2. §. 24. *quos à nostro contubernio, dum subduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac nec illis quidem nobiscum.* Sed veri Domini nostri JESU Christi Fideles statim ab initio Ecclesiæ nihil pensus habuerunt, plurifque fecerunt, quam ut communionem Sanctorum constanter allererent, retinerent, atque exercerent, sicut constat



constat ex Liturgijs variarum Ecclesiarum non solum Romanæ sed etiam Orientalium, ut Hierosolymitanæ, atque Æthiopicæ ab Apostolis conscriptis, in quibus frequentes fit mentio de oratione Martyrum, quorum precibus & intercessione Deus dignetur Ecclesiam suam protegere &c. atque ita Ecclesiæ Orientales usque in hunc diem obsecrant, affirmantes se ab initio Ecclesiæ & à Sanctis Patribus sic accepisse. Ubi hæretici prætere de nequeunt corruptionem, seu defectionem Romani Pontificis, utpote à cuius obedientia prædictæ Ecclesiæ ante annos 800. & ultra recesserunt. Sufficiat unum alterumve testimonium. Hieremias Patriarcha Constantiopol. Anno 1586. in suo ad A Catholicos Germaniæ responso c. 21. sic pronūciat: *Mediatores facimus omnes Sanctos, imprimis autem & excellenter ante alios omnes ipsam Dei Genitricem Virginem Mariam: secundum hanc autem honoramus Angelorum atque aliorum Sanctorum Choros templis, donarijs, supplicationibus: Sacris Imaginibus eorum non proprio Dei cultu, sed relatè & consideratione quædam ad ipsa exemplaria honorem facimus, eisq; ad volumus &c.* & Infra: *Nam & hæc Mediator quædam est cum Angelis alijsque Sanctis, atque adeo non inimici ipsa mundi Domina pro nobis exorat.* Similiter Gabriel Alexandrinus anno 1595. in Epistola ad Clementem VIII. in hunc modum Ecclesiæ suæ sensum declarat: *Deum Altissimum rogamus, ut Ecclesia sit unica, Catholica, & Apostolica sine divisione & separatione precibus Sanctissima Domina Maria semper Virginis, & Optimorum Patrum nostrorum SS. Apostolorum &c.* Hæc illi. Cæterum Liturgias illas Apostolorum non esse fictitias, sed genuinas ostendit Card. Baronius Annò Christi 63. N. 17. Genebrardus L. 3. Chronici. Lindanus in Apologia. Franciscus Tutrianus L. 3. Characterum dogmaticorum. Claudijs Sanctes præfatione in Liturg. Sixtus Senensis L. 2. Bibliothecæ. Card. Bellarm. L. 1. de Missa c. 18. Bernardinus Verweis in Speculo veræ Ecclesiæ fol. 736. & alij, qui tamen farentur, Apostolis quædam adjecta fuisse, ut nomina ipsorum Apostolorum, & aliorum Cælitum Apostolis posteriorum. Quare error iste Sectariorum est contra Ecclesiam Latinam & Græcam, atque ab utraque rejectus & condemnatus. Quæ ab Adversarijs pro hoc suo errore palliando allata fuerunt, nullius prorsus sunt momenti, sed merè ignorantia, prævæ interpretationes, inania figmentâ, & quæsitâ effugia, ut ex sequentibus apparebit. Igitur:

XV. Respondetur 1. ad probationem ex Sac. Scriptura. Priorè parte doctrinâ 1. jam dictum fuisse, hunc fidei articulum de Invocatione Sanctorum potissimum Ecclesiæ Traditione niti, adeoque explicitè non esse præceptum in Sacris Litteris, uti rectè asseruit Eggius in Enchiridio c. 15. sub finem, pag. 106. Intellige in communi; mandatum enim Jobi. 42. §. IV. cit. speciale est ad tres ejus amicos. Quod etiam nec implicitè invocatio Sanctorum in S. Script. contineatur, ut ait Gerhardus fol. 508. aperte falsum est, cum illa per legitimam consequentiam ex hac deducatur, ut ostendimus; quod maximi fieri debet à Lutheranis, cum ipsi ex peculiaribus suis fidei articulis nec unicum in Biblijs ostendere possint, ideoque ad consequentias confugiunt, idque sufficere asseverant. Longè etiam falsissimum est, prædictum fidei articulum Sacræ Scripturæ adversarij. Nec hoc occlumant Sectarij, nisi ex purâ ignorantia & per-

versâ ejus Scripturæ interpretatione, ut passim DD. nostri astendunt, & ex sequentibus responsis ad singulos, quos objecerunt, textus constabit. Itaque ad 1. textum ex 1. ad Timoth. 2. v. 5. unus Mediator &c. loqui Apostolum de Christo JESU, qui est unus Mediator primarius ac principalis inter Deum & homines; Creditorem & debitores, Offensum & offendentes cum Auctoritate se interponens solvendo ex proprijs bonis omnine pretium & litrum requisitum; ut ex sequentibus patet; tales autem Mediatores non sunt Sancti; sed tantum secundarij, ministeriales, & mediati intercedendo; ut merita Christi nobis applicentur, ac suppliciter orando, ut fructum Redemptionis percipiamus; quod non modò in nullam Christi injuriam; sed ad ejusdem gloriam cedit; sic etiam Moyses Deut. 5. v. 4. vocatur Mediator, ut ait Cyrillus L. 12. Thesauri. c. 10. Ad 2. ex Actor. 4. v. 12. non est aliud nomen &c. Sermonem esse de Salvatore & Auxiliatore ultimo & primario, qualem solum Jesum Christum D. N. constituitur. Interim non arceri mediatas aliorum intercessionis; utpote nihil præjudicantes dignitati Salvatoris; siquidem Sancti nihil efficerent suis precibus, nisi Christi merita accederent. Ad 3. ex epist. ad Rom. 10. v. 14. quomodo invocabunt &c. agi solum de invocatione Dei à Gentibus (de his enim solum loquitur Apostolus) quæ cum ignorent verum Deum, utique istum absque fide, quæ primum est fundamentum, invocare nequeunt. Cæterum credere in aliquem, & credere aliquem idem est apud Hebræos; quidquid secus distinguat D. August. Serm. 131. de tempore, qui epist. 131. de se fatetur, ignorare se linguam hebraicam, credere illis, qui eam probè callent.

XVI. Respon. 2. ad probationem ex Patribus. Sanctos Patres & antiquos Ecclesiæ Pastores pro Sanctorum Invocatione stare, & hanc firmissimè alruere, adeo manifestum esse, ut ipsimet Adversarij id inficiari non audent, sed illos venerandos Doctores in Calvinianæ fidei clypeo dialog. 8. pag. 254. hæreticâ insolentiâ garrulos vocitent, & contemnendam esse eorumdem garrulitatem dicant. videatur Jacobus Gualterus in tabulâ Chronographica, ubi omnibus retrò sæculis in Ecclesia Christi usitatum fuisse Invocationem Sanctorum, luculenter demonstrat. Nec ullius momenti sunt, quæ in contrarium ex iisdem afferuntur, ut ordinè ostensum imus. Concilium Carthag. III. can. 32. non loquitur generalitè de qualibet oratione, sed tantum de collectis Missæ, quæ ordinariè ad Patrem diriguntur, tanquam originem non solum creaturæ, sed etiam Filij, & Spiritus Sancti, alias hæ ipsæ duæ divinæ personæ licitè invocari non possent, si solus Pater intuari deberet. Ignatius M. in epist. ad Philadelphicos cum grano salis intelligi debet; ne aliàs etiam Spiritus Sanctus ab adoratione removeatur. Dicerè igitur nihil aliud vult, quam Christum velut principalem Mediatorem & Redemptorem suo modo: æternum Patrem verò veluti summum Bonum cultu Latriæ adorandum esse; per istud verò non rejicit cultum & venerationem Sanctorum cum minimè prohibitum sit, etiam à viventibus intercessionem apud Deum flagitare. Origenes, quando contra Celsum ait, orationes esse ad Deum destinandas: aut Deum solum esse adorandum; intelligi debet in priori loco ultimatè: in posteriore verò de cultu latreutico.



tico; quia in diversis alijs locis indubitè Invocationem Sanctorum admittit, & nominatim Lib. 2. in Job sic exclamat *o Beate Job, ora pro nobis miseris*; D. Chrysol. Hom. de profectu Evangelii, non esse opus Patronis apud Deum, nihil aliud vult, quam intercessionem Sanctorum non esse simpliciter necessariam; siquidem possumus Deum ipsum immediatè accedere; interim non negandum, ad melius esse, & facilius impetrandum valdè prodesse intercessionem Sanctorum. Vnde iste Sanctus Pater Homil. 44. in c. 19. Genes. tam seriè exhortans ad illam ait: *confugiamus ad Sanctorum preces, & oremus ut pro nobis intercedant, sed non illorum precibus tantum confidamus, sed & ipsi nostra, ut oportet dispensemus rectè, & ad meliora semper convertamur, ut locum demum orationi, que pro nobis funditur plura pro Sanctorum invocatione habet alibi.*

XVII. & Ambrosius non est Auctor Comment. in Epist. S. Pauli, ut ostendit Bellarm. de Scrip. Eccl. v. Ambrosius; quiscumque autem sit Auctor, erit ille contra Ethnicos Philosophos fingentes adorari oportere Angelos Motores cælorum; aliàs ad supremum Deum perveniri non posse: & docet ad promerendum verum Deum, suffragatore non esse opus, sed mente devorà; ubicunque enim talis locutus fuerit illi, respondebit ei. Quid hoc contra nos, & contra Invocationem Sanctorum? Tertullianus contra Martionem, & in Apologetico loquitur de falsis Dīs Gentium, & ait, Christianos orare solere pro Imperatoribus Romanis, non apud illa idola, à quibus nihil auxiliij ferendum, sed apud unum summum Deum, qui solus (primariò seu principaliter) auxiliari potest; quod nullus Catholicus negat ex doctrina S. Jacobi c. i v. 17. *omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre Luminum.* Quidquid igitur accipimus, id totum principaliter, primariò, & originaliter à Deo accipimus, & non à Sanctis, et si per istorum etiam intercessionem accipimus; imò illud ipsum mediante meritis Christi accipimus; quippe omnium Sanctorum intercessionem non forent sufficientes ac conducibiles, si non tinctæ sanguine Christi, & hujus meritis illitæ essent, quod bene notat Bellarm. Lib. 1. cit. c. 17. his verbis. *Sancti non sunt immediati intercessores nostri apud Deum, sed quidquid à Deo nobis impetrant, per Christum impetrant.* Verba ex Lib. de Trinitate allata non sunt Tertulliani, sed hæretici Novatiani, Jansenus. L. 2. c. 57. scribit contra Gentes facientes subinde aliqua falsa miracula per invocationem seu adjurationem malorum Angelorum. Ait ergo S. Pater, Christianos operari miracula sua non per incantationes magicas & dæmonum adjurationes, sed per invocationem Sanctissimi Nominis JESU Christi, quod ipsum prius scripsit Justinus M. Apolog. 1. pro Christianis. Lactantius lib. 2. Institut. c. 18. loquitur de cultu Idololatrico, ut liquet ex totius capituli discussu.

XVIII. S. August. Tom. 1. de Vera Relig. c. 55. expressè docet, creaturas non esse adorandas cultu Latræ; patet hoc clarè ex eo, quod dicat, *Deum solum adorari, soli illi templa erigi, sacrificia fieri oportere*; quis Catholicorum hoc negat? Cæterum ex Augustini indubitato testimonio plura habemus pro Sanctorum Invocatione. S. Gregor. Nazianzenus minimè dubitavit de Sanctorum invoca-

tione; imò illorum etiam apparitiones clarissime affirmavit. orat. 1. adversus Julianum his verbis. *Quibus (Martyribus) præclari honores & festa constituta sunt, à quibus daemones propelluntur, & morbi curantur, quorum apparitiones & prædicationes: quorum vel sola corpora idem possunt, quod anime Sancta, sive tangantur, sive honorentur: quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua passionis signa idem possunt, quod Corpora.* Hunc autem S. Patrem fuisse primum, in cuius scriptis invocatio reperiretur Sanctorum, est aperte falsum, cum antiquissimorum Ecclesiæ Patrum testimonia afferantur à Bellarmino, Vetweis, Becano, ut superius diximus. Non minus à veritate alienum est, quod Hailbrunner in suo novo Pap. pag. 18. ex Eusebio affirmare audeat, nempe in primæva Ecclesiâ Sanctis Martyribus nullum fuisse honorem exhibitum. Nam scribit Eusebius, primos Christianos primævæ Ecclesiæ collegisse ossa SS. Martyrum, & ea in locum honoratum posuisse, cur hoc? & cur fecerunt hæc? Audiamus cit. Auctorem de præpar. Evang. L. 13. c. 7. *Ad mortem, inquit, servorum Dei, quos si veros pietatis ministros, seu milites existimaris, & dixeris, à verbis minime aberrabis; unde ad eorum sepulchra ex more transmissis, preces apud illa fundimus, & beatas illorum colimus animas; que ipsa non absque recta ratione à nobis sunt.* Ecce tria de Christianis primitivæ Ecclesiæ affirmantur ab Eusebio. 1. Christianos visitasse sepulchra Martyrum. 2. Antiquos Christianos orasse & invocasse Sanctos, eisque honorasse. 3. Hæc bene pie ac laudabiliter fieri. Nihil horum faciunt moderni Prædicantes, ut tempore, ita fide ab illis antiquis primitivæ Ecclesiæ Christianis remotissimi.

XIX. Respond. 3. ad probationem ex lege Naturæ, Cultum & Invocationem Sanctorum adeo Luminis & Juri Naturæ consentaneam esse, ut oppositum impotius adversariorum figmentum eidem Luminis & Naturæ, ac sanæ rationi repugnare videatur, scilicet 1. Dei Matrem non debere honore affici, nihilque ipsam apud Omnipotentem suum Filium impetrare nobis posse. 2. Maximos Dei Amicos ob dona sua supernaturalia non esse colendos, quos tamen ipse Deus nimis honorificatos esse prædicat. 3. Illos felicissimos cæli Incolas, qui Deum omnia videntem vident nihil scire eorum, quæ ad ipsos diriguntur. 4. homines adhuc in terris invocari posse, ut pro nobis ad Deum intercedant, eosdem verò inter Sanctos in cælum assumptos invocari sic minime posse. 5. Intercessionem Sanctorum sanguine & meritis Christi nixas derogare ipsis Meritis & Sanguini Christi. 6. idololatriam committi contra Deiparam & Sanctos, dum illis nec cultus Dei defertur, nec quidquam divini in illis agnoscitur. 7. Omnes SS. Patres à principio Ecclesiæ per tot sæcula errasse in cultu & invocatione Sanctorum, non videndo in hoc idololatriam, quam hallucinantes hodie Sectarij etiam palpare sibi videntur. Hæc sanè offusam luci caliginem dixeris, quæ non nisi à tenebrionibus, & exosis lucis vespertilionibus provenire possunt. Ea, ex quibus cultus & invocatio Sanctorum luminis & juri naturæ repugnent, prorsus frivola & nullius momenti sunt.

XX. Nam primo falsum est principium, nihil petendum, nisi à primo fonte & origine omnium bonorum. An non pauperes rectè petunt panem à ditioribus, filij à Parentibus abique eo, quod recurrant ad Deum? Qui hoc tempore, quo ista scribo, volunt sicus, plerique eunt ad forum, ubi vendunt.



venduntur, non ad arborem, in qua crescunt; sic recurrimus ad Sanctos, non ut primos formaliter largitores beneficiorum, sed tanquam ad Ministrum & dispensatores. *Secundò* non repugnat infinitæ Dei Misericordiæ adhibere aliquos Intercessores apud ipsum; licet enim Deus paratus sit, nos exaudire, quando soli illum accedimus, tamen non minus paratus est, quando cum amicis ipsum accedimus, ut apparet ex eo, quod Jobi 42. v. 8. cit noluerit Deus, ut amici Jobi soli ad ipsum venirent deprecari veniam, sed id fieret per Jobum: *Ite, inquit, ad servum meum Job, & offeret holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam &c.* Neque petitio intercessionis signum est diffidentia; quod Bonitati Dei diffidamus, aliàs diffusus fuisset Paulus Deo, ejusque Bonitati, quando ad Romanos 15. versu 30. tam fervide esflagitavit preces viventium in terra; imò dum deprecatores alios adhibemus, diffidimus potius de nostra dignitate, cum sciamus, nos esse peccatores ejus donis indignos; etsi enim Benignissimus sit Deus, est tamen etiam Justus, & in pœnam scelerum non nunquam aures occludit, Sanctorum precibus referendas. *Tertiò*. Si aliquid tam commode facile ac securè fieri nequeat paucioribus; tum illud non frustra fit pluribus. Atqui non tam commode facile ac securè exaudimur soli; ac adhibitis deprecatoribus, cum propter indignitatem, tum ob Dei decretum, quo destinavit quædam non dare nisi intercedentibus Sanctis, ut à posteriori per experientiam & Patrum doctrinam constat. Certe nemo facile dubitaverit, quin famosus ille Theophilus infames hosti infernali codicillos nunquam extorsisset, & Jesum in horrendi sceleris condonationem flexisset si non Deiparam Virginem Patronam ac Deprecatricem adhibuisset, ut insinuat Bernardus in Deprec. ad MARIAM.

XXI. *Quartò*. Dispari valde modo nos colimus Sanctos, à moribus Ethnicorum. Isti namque certos Deos, quos cultu Latriæ affecerunt, certis rebus præfecerunt: Nos Sanctos nec pro alijs agnoscimus, nec cultum ijs divinum deferimus, sed solum, ut deprecatores, apud DEUM adhibemus. Cur autem certos Sanctos in certis casibus invocemus, fit illud, quia vel in vita simile patrocinium adhibuerunt, vel post mortem in hujusmodi rebus speciale auxilium præstiterunt. Sic igne periclitantes D. Flo. ianum implorant, quem in hujusmodi casu singulariter propitium esse primus omnium Carbonarius experimento didicit, qui suis, quos sufflaverat, ignibus involutus Florianum appellavit, & integro corpore è rogo emerfit. Unde posteris quoque mos traditus est, Floriani imaginem cum urna aquarâ in fronte ædium dedicandi. DEUS etiam subinde aliquid concedere vult per hunc, non per alium Sanctum. Videatur antiquus Papatus P. Forer Lib. 1. cap. 8. n. 5. Et cap. 21. num. 95. *Quintò*. Ex eo, quod postulata non semper impetremus per intercessionem Sanctorum, non sequitur, invocationem illorum esse illicitam & negligendam; nunquid semper annuit precibus nostris ipse Deus? an ab invocatione hujus propterea cessandum? minimè. Quando igitur pro bonis temporalibus oratur, semper tacitâ id fit conditione, si ad majorem DEI gloriam nostramque salutem conducant. Atque hoc modo, cum etiam

pro nobis Sancti orent, nullam unquam ferunt repulsam; quia scilicet non absolute, sed solum conditionatè à nobis rogantur, si nimirum ea, quæ petimus, ad Dei gloriam ac salutem nostram conducant. *Sextò*. Quando Sancti apud Deum pro nobis intercedendo postulant beneficia, hæc non petunt à Deo concedi, tanquam mercedem meritum suorum, sed veluti signum amoris erga ipsos divini, quem suis meritis obtinuerunt. Cæterum mercedem pro meritis suis acceperunt quidem, etsi nondum plenam; quia nondum acceperunt gloriam corporis, quam etiam suo tempore habebunt.

XXII. *Septimò*. Falsum est, & impium hæreticorum figmentum, aliquos ab universa Ecclesia proponi, & haberi Sanctos, & ut tales invocari, qui tamen nunquam fuerint in rerum natura. Sanctus Georgius, S. Christophorus, S. Longinus à toto orbe Christiano per tot sæcula honorati & invocati fuerunt, ut mirum sit; Sæctarios adeo omnem frontem exvisse, ut in tanta veritatis luce tam spissa mendacia obrudere audeant. Videatur Catholicus Papatus contra Hailbrunner Lutheranum Tom. 1. à fol. 298. & nominatim contra prædictum mendacium de SS. Georgio, Christophoro, & Longino, fol. 357. *Demum quoad Legendas Sanctorum*. Sunt istæ duplices. Aliquæ sunt ab Ecclesia approbatæ: aliquæ non; sed absque omni facultate & approbatione sunt typo aut scripto editæ. Hæ posteriores ab Ecclesia prohibentur, atque ex oculis ac manibus hominum remouentur. Illæ priores immeritò ridiculæ stolidæ ac fabulosæ ab hæreticis censentur: nec quidquam in iisdem ostendi potest à sana ratione & divina Potentia alienum. Et profectò si in vitis Sanctorum ridicula ac fabulosa sunt, quæcunque Naturæ vires ac limites transcendunt, quomodo plurima, quæ in Sacra Scriptura referuntur, veritati consentanea credi possunt? Ridet Molinæus, & fabulosam censet, asinum Sacra consecratæ Hostiæ pedes inflexisse, ut habetur in vita S. Antonij de Padua. Quomodo ergo serid credere & verum esse censere potest, Asinam fuisse locutam, ut habetur Num. 22. v. 28. Si enim Asinus vi altiori loqui potuit, cur non pedes coram Venerabili eadem virtute superiore inflectere valuit? aut quæ major in hoc, quam in illo impossibilitas? Ita scilicet Hæretici nec Deo nec Homini bus attestantibus fidem habent, sed suo se instinctu & plus quam asinino impetu agi sinunt.



CONTROVERS. XLIV.

DE CULTU SANCTARUM  
Imaginum.

S. Gregorius Magnus L. 9. Epist. 9. de Imaginum seu picturarum utilitate sic scribit: *quod legentibus Scriptura: hoc & idiotis præstat Pictura. Quia in illa legunt, qui literas noverunt: in hac ignorantes vident, quid sequi debeant.* Hinc fidei & pietatis hostes non solum Scripturam Sacram infestârunt, sed etiam Imagines Sanctas ac picturas impugnarunt, atque etiamnum istis à modernis hæreticis lis gravis intentatur hîc loci decidenda.



## PARS PRIOR.

## DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Imagines Sanctorum cultu dignæ sunt, & piè rectèque à Fidelibus honorantur & adorantur. Ita omnes Catholici ex pluribus Concilijs. Speciatim ex Synodo VI. Can. 82. & Synodo VII. seu Nicæna I. quæ Anno 787. pro imaginum Sanctorum cultu fuit ex instituto celebrata, & post longam disputationem tandem hæc decisio facta Aet. 7. Nos SS. Patres in doctrina insistentes, & Ecclesia Catholica, in qua Spiritus Sanctus inhabitat, traditionem observantes, deservimus, sanctas imagines in templis Dei habendas, colendasq; præsertim Domini, & Dei Servatoris nostri JESU Christi. Deinde Intemerata Domina Nostra Deipare: venerandorum Angelorum, & omnium deinde Sanctorum, quod scilicet per hæc Imaginum picturam inspectionem omnes, qui contemplantur, ad Prototyporum memoriam recordationem & desiderium veniant, illisq; salutationem & honorariam adorationem exhibeant. Imaginis enim honor in prototypo refultat. Quo decreto prælecto Sancta Synodus exclamavit: omnes sic credimus, omnes approbantes subscripsimus. Hæc est fides Apostolorum: hæc est fides Patrum: hæc est fides Orthodoxorum: hæc fides orbem terrarum confirmavit. Qui secus agunt, anathemate percussuntur. Qui secus sentiunt ab Ecclesia expelluntur. Eadem Catholica veritas habetur ex Concilio Rom. sub Greg. III. & Stephano III. & denique in Trid. Sess. 25. in proprio decreto his verbis: Imagines Christi, Deipare Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas & retinendas, eisq; debitum honorem & venerationem impertiendam. Probatur primo ex Sac. Script. Exodi 25. v. 22. & 37. v. 7. Num. 7. v. 89. Et 3. Regum c. 6. v. 23. ubi duo Cherubin in oraculo Arcæ ita positi fuerunt, ut adorantibus Deum in Arca præsentatum unâ cum ipso Deo obijcerentur, adeoque simul quodammodo cõadorarentur. Videmus quoque in SS. Litteris omnes res etiam inanimatas ad Deum aliquò modo relatas in magnâ reverentiâ & honore habitas; Arcam fæderis nemo tangere audebat, nisi Levitæ. Laicis etiam appropinquare vetitum Josue 3. v. 3. Ob ejus contactum Oza mortuus est. 2. Reg. 6. v. 7. Ob curiosum ejus aspectum plurimi Bethsamitæ occisi 1. Reg. 6. v. 19. Cui ergo imagines Deum vel Sanctos representantes honorem non mereantur? Quare licet D. Damascenus L. 4. de fide. c. 17. dicat, doctrinam hæc S. Scripturæ verbis minimè expressam, tamen per bonam consequentiâ ex Scriptura valdè confirmatur, tum locis citatis, tum ex Psal. 98. v. 5. adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est. Vbi per Scabellum designari Arcam, indicatur Paralip. L. 1. c. 28. v. 2. Hinc Nicephorus Patriarcha in Dialogo, cui nomen Orthodoxus, bene ait: cum querit Hæreticus, ubi scriptum sit, de adoranda Christi imagine, respondendum, ubi scriptum est, adorandum esse Christum? siquidem inseparabilis est à Prototypo Effigies ejus.

II. Probatur secundo ex perpetuo Ecclesiæ usu miraculis confirmato. Christus ipse Imaginem suam ad Abagarum Edessæ Regem utique in honore habendam misit, quæ postea miraculis

coruscavit; ut videre est apud Baronium Anno 545. 586. 610. 621. 678. 944. Idem Dominus ac Salvator noster suam Effigiem limbo impressit, ut in velo Veronicæ, & in syndone Vesontina, easque varijs miraculis cohonestavit; de quo citatus Auctor ad Annum Christi 43. Mulier à sanguinis fluxu per Christum curata Effigiem hujus ex ære fulam erexit Panneadæ, quæ per 300. & amplius annos ad Juliani Apostata tempora conservata omnis generis morbos depulit, ut testantur Eusebius (L. 1. c. 14. Nicephorus L. 10. c. 30. & Sozomenus L. 5. c. 21. qui addit, Imperatorem in locum illius Imaginis Christi sublata substituisse suam, sed statim ignem vehementem calitus delapsum statum illam Juliani circa pectus discidisse, & caput unâ cum collo deiecit, ut illius faciem insinasse, quatenus media circa pectus fuerit disrupta. Ex historia Constantini Magni haud abscurè idem antiquus usus Sacrarum Imaginum conijcitur; Sic enim legitur in Edicto Constantini: Tunc idem venerabilis Pater (Sylvester) Imagines eorumdem Apostolorum per Diaconum suum exhiberi præcepit, quas dum aspicerem, & eorum, quos in somno videram figuratos in ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram omnibus Sacerdotibus meis confessus sum, eos esse, quos in somno videram. Imagines autem illas utique honoris & adorationis causâ S. Sylvester Papa apud se habuit. Item ex veteri usu; etenim à S. Lucâ depictas fuisse Imagines tum Jesu Christi, tum B. V. MARIÆ, tum Præcipuum Apostolorum præter alios testatur Nicephorus Lib. 2. c. 43. addens, in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandam & pretiosam opus fuisse illatam.

III. Probatur tertio ex Patribus. Apostoli in concilio Antiochiæ celebrato jubent fieri, & Judæis ac idolis opposi Imagines Dei veri, & Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, & Sanctorum, hæc illorum sunt verba: ne errent Fideles erga idola, sed exprimant Divinam-Humanam, Immaculatam, Manifestam Imaginem veri Dei & Salvatoris nostri JESU Christi, ac Servorum ejus ex Adverso coram idolis & Judæis: neque amplius errent erga idola, aut Judæis similesiant. Videri potest Jacobus Gualterius in tabula Chronograph. fol. 17. & 79. ubi hoc testimonium & allata verba ex græca versione refert. D. Bassilius in epistola ad Julianum Imperatorem, quam adducit Adrianus I. Synodo VII. Aet. 2. aperte confitetur: Historias Imaginum illarum Christi, Deipare & c. honoro, & palam adoro; hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis non est prohibendum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historiis erigimus. Idem Adrianus Papa in epist. sua ad Constantinum Imperatorem, & Irenem in Concilio Nicæno II. ex D. Christof. affert hæc verba: Nonne injuriâ afficit Regem, qui regiam vestem violat? non novisti, quod is, qui injuriâ afficit Imperatoriam Imaginem, in Imperatorem ipsum veluti exemplar imaginis, ejusque dignitatem injurius est? Negit illum, quicumque ex ligno & coloribus Imagini convitiâ dicit: non damnari, veluti in rem inanimatam, sed contra Regem ipsum dixerit; judicatur enim occultè Regi injuriam intulisse. Plura PP. Græcorum & Latinorum testimonia videri possunt passim apud Bellarm. Verweis & alios.

IV. Probatur quarto. Miraculis. D. Athanas. Libro 1. vel Sermone de Passione Christi Imaginis c. 2. & 3. testatur, Imaginem Christi Crucifixi à Nicodemò factam fuisse à Judæis per ludibrium lanceâ



lanca transfixam, & ex ea copiosum sanguinem fluxisse, quod multorum corpora & mentes sanatae fuerunt. Idem affirmat Gregorius Turonensis de glor. Mart. c. 21. Sub Constantino Copronimo seu Caballino, qui sacrarum cultores Imaginum diris vexavit supplicijs, à B. Stephano Monachorum Antelignano in monte Auxentiano plures à varijs languoribus curati sunt, postquam Sacras Imagines adoraverunt, aut colere se professi fuerunt, ut refert Baronius Anno Christi 765. Plura etiam in particulari recenset miracula D. Damascenus orat. 1. & 3. de Imag. Ipsemet Catholicae veritatis irrefragabilis testis, dum manum iustu Sarracenorum Ducis amputatam beneficio Deiparae Virginis miraculose restitutam accepit, ut scribunt Nicephorus & alij plures Authores.

V. Probatum quomodo. Ratione. Imago dupliciter considerari potest; Materialiter, & Formaliter. Si spectetur materialiter quae aurea, vel argentea, pulchre vel inscite depicta, sic non colimus imagines, utpote rationis expertes, atque hocipso adorationis incapaces; & qui ejusmodi imaginem amat v. g. quod aurea, vel affabre picta sit, non ob id amat rem ab ea representatam v. g. Judam: si formaliter consideretur, sic eam omnino colimus, siquidem secundum hanc acceptionem est idem omnino motus in Imaginem, & rem significatam, ut docet Aristot. in L. de memoria; adeoque qui sic honore vel ignominia afficit imaginem, afficit & rem significatam; quod probe novit, & mundo ostendit Theodosius Imperator, cum enim Antiocheni imaginem ejus ac conjugis Placillae deprecissent, & per plateas traxissent, injuriam hanc & sui ipsius & conjugis suae esse ratus universam Antiochiam visitare damnavit, atque aegre Flavianus Episcopus precibus suis eam ab interitu servavit, ut refert Niceph. L. 12. c. 43. Et quid in tali cultu mali? Sed de hoc ipso cultu mox plura.

VI. Doctrina secunda. Imagines quoque ipsius DEI ac Sanctissimae Trinitatis recte construuntur, & ad cultum ac venerationem proponuntur. Ita communis Doctorum ac Theologorum Cathol. sententia. Probatum. Tum ex recepto Ecclesiae usu. Tum ex Concilio Trident. loc. cit. quod, licet circa imagines Dei nihil decernat, indicat tamen, illas non esse illicitas, ajens: *Quod si aliquando historiarum vel narrationes Sacrae Scripturae cum id indoctis plebi expediat, exprimi & figurari contingit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit; haec enim esset haeresis Antropomorphitarum.* Et quamvis aliam causam, cur Sanctissima Trinitas sub humana specie pingatur, Concilium non exprimat, tamen facile cogitavit, ideo illud fieri, ut invisibilis Dei perfectio humanis figuris quasi metaphoris, non nihil adumbretur. Unde doctrina nostra ulterius probatur. Tum quia in veteri Testamento per varias corporearum rerum imagines Deus olim fuit representatus. Tum quia spectatim Dan. 7. v. 9. Deus sedisse & apparuisse dicitur tanquam Antiquus dierum, *cujus vestimentum candidum quasi nix, & capillae capitis quasi lana munda.* Cur non ergo ita depingi possit? Interim pro hujusmodi imaginationibus semper habemus correctivam cogitationem; quippe scimus, DEUM ita se non habere, sed aliter concipere non valemus, ut indicat D. Dionysius Ariopagita de caelest. hierarch. cap. 2.

VII. Porro de ratione & modo colendarum Imaginum specialis est lis inter Auctores. Ad rem rite intelligendam diligenter notari & assidue pra oculis haberi debet ex Suarez. Tom. 1. in 3. P. D. 54. sect. 5. imaginem triplici modo spectari posse. *Primo* materialiter & physice secundum materiam, artem, figuram &c. abstrahendo, ut jam diximus, à repraesentatione & relatione, ex qua res habetur sacra. *Secundo* formaliter secundum relationem repraesentationis, adeoque imaginem ut imaginem, ut itidem diximus, etsi non ut exercentem munus imaginis. *Tertio* formalissime secundum relationem repraesentationis, adeoque imaginem ut imaginem in actu exercito, hoc est, prout non tantum actualiter quocunque modo repraesentat prototypum, sed quatenus secundum repraesentationem vivam continet in se exemplar, adeoque eo velut animata est. Differt haec consideratio à priori, quod illic directe sola consideratur imago, tametsi indirecte & in obliquo simul cognoscatur exemplar, tanquam alter terminus correlativus: hic vero directe consideratur tam imago quam prototypum per modum unius adaequati objecti, quod dici potest imago exemplaris animata, seu prototypum imagine vestitum non realiter, sed per simplicem apprehensionem ac vivam repraesentationem exemplaris in imagine, ac si adesset, quomodo Filij in imagine suos concipiunt Parentes. Hoc notato.

VIII. Crtum est 1. Imagines sacras recte coli & adorari, quatenus coram illis & per illas colitur & adoratur exemplar indicio imaginis ad mentem revocatum. 2. Imagines, quocunque modo colantur, non colendas esse per se ultimae, sed propter prototypum, & hujus excellentiam tanquam rationem objecti formalem; unde communiter cultus imaginum dicitur respectivus. 3. Imagines nunquam ita licite adorari posse, ut cultus in ipsis penitus & undequaque sistat, sed istum aliquo tandem modo ad exemplar referri debere, cum istud sit objectum quod, seu ratio formalis propter quam imago colitur. 4. Denique certum est, quasdam esse externas adorationis actiones, quae ipsis imaginibus, simpliciter loquendo, non exhibentur, etiamsi coram illis exercentur v. g. Sacrificium, oratio, laus exemplaris: quia hujusmodi actus praecise respiciunt personam intelligentem, ut talis est, abstrahendo ab his, quae extrinsecus illi adjuncta sunt. Haec cum certa sint, tam ex Concilio Trident. in decreto de sacris imaginibus, quam ex 2. Synod. Nicena cit. Difficultas est. An imagines proprie, & quomodo colendae sint?

IX. Doctrina tertia. Imagines vere & proprie licet respectivae colendae & adorandae sunt, Ita communis Theolog. contra durandum 3. Dist. 9. Q. 2. n. 9. & 11. asserentem, imaginem proprie loquendo non adorari, sed exemplar praesente imagine. Consentit Durando Holkot, & praeter alios fere Cajet. 3. P. q. 25. a. 3. & seq. ajens *imaginem esse tantum conditionem adorandi exemplar, & honorem non exhiberi conditioni rei adoratae, sed rationi adorandi, quae est exemplar.* Hanc Sententiam aliqui Theologi gravi censuram afficiunt, à qua tamen eam Vasq. L. 2. de Adorat. N. 390. vindicare conatur. Probatum doctrina nostra. Tum ex Concilijs & Patribus qui plane utuntur opposito loquendi modo. In Concilio Niceno 11. Act. 1. Basiliius in sua confessione ait: *honorifice veneror venerandas imagines.* Euthymius Episcopus Sandenium Act. 2.



venerandas imagines ex toto corde cum debito honore & saluatoria adoratione suscipio. Act. 6. Epiphanius Diaconus damnat illos, qui imaginum usum ad memoriam solum, non verò ad saluationem & venerationem admittunt; quod velle videtur opinio ista. Et Act. 7. in epist. Synodi dum explicatur, quid sit *agoroxvóris* sive adoratio imaginibus debita, dicitur, præpositionem *agoroxvóris* intentionem significare desiderij. Tum quia quod coram imagine honoratur prototypom, per hoc revera non honoratur imago, sed solum prototypom. Ergo si non aliter honoratur imago, realissime negari potest, honorari illam, quod tamen nemo Catholicorum dixerit. Tum quia potissimum hæreticorum argumentum contra cultum imaginum est, quod sint res mortuæ & inanimatæ. Ergo supposuerunt intentionem Catholicorum, ferri in imagines verè ac propriè colendas.

X. Vasquez Lib. de Adorat. Disp. 8. 9. & 12. fatetur quidam honorari imaginem, aramen majorem huic honorem non concedit, quam externum v. g. osculationes, genuflexiones &c. derivatum ab affectu servitutis seu submissionis circa exemplar. Quare in opinione Vasquezij actus internus totus quantus occupatur cum exemplari, nec ullo modo attingit imaginem, sed colitur illa solum per signum externum cum simplici affectu, illum exhibendi. Vasquezium sequuntur Lessius Turrian. & nonnulli.

Doctrina quarta. Non solum externa signa honoris cum simplici affectu ea exhibendi, sed ipsum etiam internum affectum reverentiæ & cultus seu adorationis verè & propriè ad imagines dirigi. Ita post S. Thomam & veteres Scholasticos Suarez. D. 54. cit. Sect. 5. Tanner Tom. 3. D. 5. Q. 2. dub. 5. n. 143. Bellarm. L. 2. de imaginibus cap. 20. & alij Theologi communiter. Probatur 1. ex mente Conciliorum & Patrum approbantium cultum imaginum; quæ mens fuit, quod non solum externa cæremonia, sed internus etiam animus submissionis feratur in imaginem; dicunt enim simpliciter & absolute *imagines adorari*, & hoc contra Iconoclastas, qui illud maximè in cultu imaginum detestabantur, quod internus affectus manifestatus actu extèrno in imaginem tenderet. Speciatim autem observanda sunt verba Synodi VII. asserentis, *imagines ex animi desiderio, ex affectu, ex toto corde cum debito honore perfecte adorandas &c.* Probatur 2. à priori. Tum ex definitione adorationis supra allatæ ex D. Damasceno Orat. 1. de imag. nempe, quod sit nota submissionis, & reverentiæ. Ergo illud, quod adoratur, debet terminare submissionem & reverentiam; est enim nota reverentiæ illi exhibitæ, quod adorari dicitur. Tum quia repugnat externum cultum exhiberi imagini, quæ tali, quin etiam internus affectus submissionis feratur in imaginem; hoc ipso enim quod velim flectere coram imagine, & illi exhibere reverentiam, jam adest actus, quo me volo collocare infra imaginem, & illi cedere locum meliorem. Probatur 3. ex Absurdis: Nam si prædictus internus affectus non accedat, non apparet, quomodo Vasquez reipsa recedat à sententia Durandi passim ab omnibus rejecta; quævis enim dicat, in hoc se recedere, quod admittat imaginem verè adorari, esto terminet solum cultum externum, hoc tamen est solum differre in modo loquendi, non in re ipsa; etenim Durandus non negavit imagini rectè figi osculum, ca-

put illi aperiri &c. sed solum negavit hæc sufficere, ut imago adorari dicatur. Confirmatur & declaratur duplici instantiâ. 1. Si ad denominationem adorari sufficiat, me coram imagine pileum aperuisse, tunc si in imagine dæmon esset depictus, diceretur iste adoratus. 2. Quando coram Eucharistia percuterem pectus, adorarem pectus, vel si oscularer terram, adorarem terram. Videatur Tanner loc. cit. ubi hæc contra Vasquez pluribus explicat; & hunc imaginum cultum, quem Vasq. & nonnulli proprium dicunt, improprium duntaxat vocat. De proprio igitur imaginum cultu expressè loquendo. Sit.

XI. Doctrina quinta. Quando imagines formalissime sumptæ, ut scilicet exercentes minus imaginis proprio cultu adorantur, tunc non solum externa signa, sed etiam internus affectus submissionis & reverentiæ verè circa imaginem simul & ipsum exemplar tanquam circa adæquatam terminum seu objectum ut quod versantur, adeoque utrumque verè & propriè eodem cultu colitur. Ita citati Auctores pro doctrina priore contra Vasq. Et hæc planè est mens Angelici Doctoris in 3. Dist. 9. q. 1. a. 2. quaestione. 2. Et 3. P. q. 25. a. 3. 4. & 5. cum expressis verbis repetat, *motum in imaginem, ut imago est, eundem esse cum motu, qui est in exemplar.* Probatur doctrina nostra 1. ex Concilijs & Patribus, qui non solum hunc adorandi modum indicant, sed subinde etiam elegantibus exemplis & similitudinibus eum declarant. Athanasius Serm. 4. contra Arianos ait: *Regem ipsum inspicere, qui regis inspicium imaginem.* Leontius in Synodo XII. Act. 4. & apud Damascenum ita loquitur: *quemadmodum Jacob accipiens à Filijs vestem sanguine conspersam Joseph, cum lacrymis osculatus est, suisq. oculis circumposuit, non ipsam vestem (ultimatè & principaliter) diligendo aut honorando id fecit, sed per eam arbitratus est, se Joseph osculari, & in manibus tenere, sic etiam Christiani omnes imagines Christi, aut Apostoli aut Martyris tenentes nostrà carne osculantes animo videmur nobis Christum aut Martyrem (utique tamen simul imaginem & Martyrem) amplecti &c.* Joannes Presbyter in eadem Synodo ad. 7. dicit, *unde & Beatus Pater (Basilius) indicavit, non esse duas adorationes, sed unam ipsius imaginis & primi exemplaris.* Quibus alijsque locis indicatur, imaginem simul cum exemplari menti & affectui adorantis objeci, ita ut unus idemque motus animi ad utrumque (sed diverso modo ut mox dicemus) referatur. Eundem modum adorationis apertius indicavit Concilium Trident. Sess. 25. de veneratione reliquiarum & imaginum, ubi ait *imaginum cultum referri ad Prototypom, ita ut per imaginem Christum adoremus & Sanctos veneremur.*

XII. Probatur eadem doctrina 2. hæc ratione. Si possibile & licitum est, ut intellectus noster prototypom simul & imaginem per modum unius objecti adorabilis directè apprehendat, tunc etiam voluntas uno quodam actu & affectu adorationis in utrumque tendere potest. Sed verum est antecedens. Major pater: quia voluntas proportionato modo cum intellectu procedit. Probatur Minor. Tum quia potest intellectus distincta objecta præfertim aliquo modo subordinata simul & per modum unius objecti totalis apprehendere v. g. Regem purpuratum. Tum quia quando exemplar est venerabile, tunc quidquid simul cum eo vel secundum rem vel secundum imaginationem convenienter junctum reperitur, rectè simul etiam



etiam ut venerabile saltem per accidens & propter exemplar censetur, ut patet in purpura Regis familiari Patribus & Theologis exemplo. Tum quia si idem affectus versari potest circa Deum & hominem, cur non possit unus idemque affectus adorationis versari circa exemplar & imaginem?

XIII. Interim fatentur omnes Doctores nostri, etiam si, ut diximus, imago simul ac eodem cultu cum prototypo colatur, semper tamen illam diverso ac inferiore modo coli. Nam Prototypon tanquam ratio colendi imaginem est principale & formale *objectum quod*, talis cultus: Imago vero secundarium & materiale, ac quasi accidentaliter annexum. Illud non solum proprie, sed etiam absolute & per se: Hæc proprie quidem, sed non nisi relative & propter illud duntaxat, adeoque, ut Bellarm. L. 2. c. 23. & alij non male loquuntur, per accidens tantum colitur eodem cultu cum prototypo, sicuti purpura, quæ cum Rege eadem adoratione colitur. Ob eandem causam, etsi veteres Theologi plerique imagines Christi latræ coli dixerint, jam tamen ita absolute & sine explicatione sufficienti loquendum non est, ut monet Bellarm. L. 2. cit. c. 22. Suarez. D. 54. cit. Sect. 5. Baronius Anno Christi 787. Nam Synodus VII. Act. 6. expresse negat, imagines adorari latræ: modo, inquit, *sciamus, excludi latræ*; hæc enim est alia à simplici adoratione, ut sæpe alibi dictum. Ratio est, quia cultus imaginis Christi, tamen in nostro casu re ipsa & materialiter idem sit cum cultu prototypi, revera tamen, & formaliter non habet rationem latræ, & perfectissimi cultus, nisi prout ad exemplar tendit, ut dictum. Juxta quam tendentiam & respectum ad exemplar putandum, veteres Scholasticos fuisse locutos. Hoc ipsum servatâ proportionem dicendum de dulia & hyperdulia respectu imaginum, quarum exemplaria dulia & hypertulia coluntur, ut recte notant Bellarm. Tanner & alij.

XIV. *Doctrina sexta.* Imagines Christi, Deiparæ, Virginis, ac cæterorum Cœlitum possunt etiam per se ac seorsim tanquam res sacræ aliquomodo coli, & venerari, non adoratò directe exemplari & personâ, ad quam illæ pertinent, adeoque formaliter spectatæ, ut prototypo relative opponuntur, juxta secundam considerationem imaginis supra §. VII. indicaram. Ita cum multis Suarez D. 54. cit. Sect. 5. ajens: *hoc tam certum esse, quàm quod imago aliquo tandem modo proprie adoretur.* Probatur doctrina nostra. Tum Auctoritate. Nam Concilia & Patres hunc imaginum cultum passim insinuant. 1. perinde loquendo de imaginibus, ac de reliquijs, ac alijs rebus sacris. 2. docendo imagines honorari, sive adorari propter prototypon; vocula enim *propter* in rigore solam rationem adorandi significat. 3. Speciatim asserendo eundem honorem derivari ab imaginibus ad prototypon, vel contra, sicuti in VII. Synodo Act. 7. dicitur: *imaginis honor in prototypon resultat &c.* Tum ratione 1. quia imagines sacræ annumerantur reliquijs & alijs rebus Sacris, quas per se colendas esse, sequenti Controversiâ dicemus. 2. imagines per se spectatæ objectum esse possunt contumeliæ, tamen quis ipsum prototypon directe non cogitet dehonestare, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 91. a. 3. Ergo per se sunt capaces honoris. 3. imagines quando simul cum prototypo coluntur, in se capaces sunt alicujus etiam interni honoris, ut ex dictis patet. Ergo etiam, quando

separatim spectantur, modo semper cum habitu ad prototypon sumantur; sive illa habitu sub ratione specifica apprehendantur, sive tantum sub ratione generica, videlicet rei Deo dicatæ, vel ad divinum cultum pertinentis. Honorem autem, quo imagines coluntur, semper ac necessarîo minorem esse, quàm sit honor ipsius prototypi, omnes iterum fatentur; quia eadem ratio cultus diversimodè utrique inest. Uti ex dictis, & praxi Ecclesiæ constat.

XV. *Doctrina septima.* Prædictus cultus pertinet ad eandem virtutem, quâ colitur ipsum prototypon, nec adeo ab alia distincta virtute procedit. Ita Suarez D. 54. Sect. 5. & plures alij. Ratio est, quia est eadem formalis ultimata ratio cultus objectiva, nempe eadem prototypi excellentia, etsi diversa sit applicatio, quæ sufficere non videtur ad diversum habitum specificandum. Non obstat, D. Thomam & veteres Scholasticos ejusmodi cultum Crucis & Imaginum vocare hyperdulam; nam hoc vocabulo hyperdulæ & duliæ frequenter significant omnem cultum sacrum, qui proprie non est latræ, seu perfectissimus cultus, ut ex supra dictis constat. Ex his colligitur, univèrsim cultum imaginum esse triplicem. *Primus* est, quò ipsa imago colatur per se directe: prototypon autè solum indirectè, & ut ratio colendi, de quo doctrinâ 6. *Secundus*, quò per se ac proprie solum colatur prototypon ab imagine repræsentatum: ipsa vero imago non nisi improprie, de quo doctrinâ 4. Ubi sententiam Vasquezij solum ut proprium cultum rejecimus. *Tertius*, quò utrumque simul, prototypon scilicet & imago unò ac eodem actu verè ac proprie colatur, de quo doctrinâ 5. Nunc videamus, quid hæretici contra doctrinas nostras Catholicas moveant.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XVI. *Error primus* est, nefas esse, Dei ac Sanctorum imagines formare: idolatriam verò easdem colere, & ad hunc finem in Ecclesia illas exponere. Ita Calvinus Lib. 1. Instit. c. 11. ubi gravissime imaginum cultum condemnat. Unde Calvinistæ, ubi ubi possunt, imagines non tantum ex Ecclesijs amoveant, sed etiam destruunt, confringunt, ac comburunt. Præjuit in hac insania & impietate primus Leo Isauricus Imperator Anno 720. qui à Judæis inductus omnes imagines ex Ecclesijs ejici & exuri curavit, idque Romano Pontifici, ut faceret, mandavit, qui tamen fortiter se impio mandato apposuit, ut refert Paulus Diaconus de gestis Lombard. Lib. 6. c. 14. Atque hic Leo Imperator dictus est Iconomachus, cujus vestigijs institit filius ejus Constantinus Copronymus, & ambo dirissimè propter imagines Ecclesiam persecuti sunt, quam devastationem ad annum usque 800. continuarunt. Post hos venerunt Leo Armenus Imperator, ejusque successores Michael Balbus, & Theophilus, quos impijssimos fuisse, & quidem Theophilum Necromantiæ & Judæismi studiosissimæ Historici Græci Zonaras, & Cedrenus testantur. Istos secuti sunt Bogamoti, Waldenses, & d. m. m.



Lutherani, qui concedunt quidem posse haberi imagines tam extra, quam intra templa, negant tamen eas religiose coli posse absque idololatria, ut videre est apud Jo. Gerhartum L. 2. P. 2. à fol. 680. Probant tum ex S. Scriptura. tum Concilij. & Patribus. tum ex ratione.

XVII. Ex Sac. Scriptura. Imprimis promunt primum præceptum Decalogi Exod. 20. v. 4. & Deuter. 5. v. 9. *non facies tibi sculpsile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis &c. ubi omnis generis imagines prohibentur.* Et quoniam Decalogus est compendium Legis Naturæ, quæ semper durat, etiam Christianos obligabit, ut ab omni imaginum factione se abstineant. Deinde afferunt omnia loca Sac. Scripturæ, quibus idolorum cultus prohibentur, contententes, omnes imagines esse idola ex Tertulliano de idololatria c. 13. dicente, *omnis forma vel formula idolum se dici exposcit.* Et Theodoro Siculo L. 2. Bibliothecæ ac Dionysio Halicarnassæo L. 1. Antiq. ubi idem est idolum & effigies, ut constat ex Lexicis græcis. Confirmant ex Baruch Propheta c. 6. ubi deridet idola varios eis effectus exprobrans, nempe quod non possint loqui, se movere, surgere, si in terram ceciderint, se defendere, abstergere faciem pulvere, vel fumo, quæ omnia etiam nostris imaginibus conveniunt. Demum ex Sac. Scripturâ eos locos adducunt, in quibus Judæi idola coluerunt, ajuntque: Sicuti Papistæ clamant se venerari in imaginibus Christum aut Sanctos, quos illæ representant, sic Judæos idololatræ veneratos fuisse unum Deum in idolis, quod ostendunt exemplis. Primum. Michas sculpsit, quod formavit non Dæmoni, sed Deo vero fabricavit; hoc enim factô lætabundus ait Jud. 17. v. 13. *Nunc scio, quoniam benefaciet mihi Deus.* Secundum. Dannitæ simulachrum illud per Levitam consulentes, hoc responsum tulerunt à Levita Jud. 18. v. 6. *Dominus respiciat viam vestram.* Tertium. Exodi 32. Judæi vitulum formarunt, quem tamen non ut vitulum, aut Ægyptiorum Apin, sed ut visibile veri DEI signum adorarunt, ut patet ex his eorum acclamationibus v. 4. *Hi sunt dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et clarius ex verbis Aaronis v. 5. *Cras solennitas domini est.* Et cultus ille vocatur cultus Jehova, quod est veri Dei nomen.

XVIII. Ex Concilij & Patribus nec paucas nec leves movent Sectarij difficultatès. Primum. Ex Concilio Elibertino seu Eliberinensi, quod in Hispania paulò ante Constantinum M. Anno Christi 305. celebratum can. 36. sic statuit: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Secundum. Ex Concilio Constantinopolitano anno 730. celebrato, quod similiter imagines damnavit. Tertium. Idem factum in Concilio Constantinopolitano anno 754. & 55. habito. Quartum. Ex Frankofortensi Anno 794. sub Carolo M. Imperatore celebrato, in quo damnata ferrur VII. Synodus Nicena II. ipseque adeo cultus imaginum omnino fuit sublatus. Quintum. Ex Concilio Parisiensi, quod relatam in Libro 1596. Frankoforti edito docet, Crucis quidem imaginem colendam: cæteras verò solius memorie, non autem ullius cultus causâ habendas ac retinendas esse. Sextam difficultatem movent ex D. Epiphano, qui in Epistola ad Episcopum Hierosolymitanum scribit: *Se in villa Anablatha vidisse depictum habens quasi imaginem Christi,*

vel Sancti alicujus, idq. se dilacerasse tanquam adversum Scripturam Sacram. Septimam. Ex Tertull. L. de idololatria dicente: *ne facias simulachrum aliquid, nisi tibi Deus iussit.* Octavam ex Clemente Alexandrino in laude exhortatoria ad gentes agente, *nobis aperte veritum est, artem fallacem (statuariam) exercere scriptum enim est, non facies cuiusq. rei similitudinem.* Novam ex Lactantio L. 2. Instit. c. 19. scribente: *quare non est dubium, quin religio nulla sit, ubi simulachrum.* Decimam ex Eusebio L. 17. hist. c. 4. narrante, usum imaginum ab Ethnicis confectum. Undecimam ex S. Athanasio contra gentes affirmante: *imaginum inventionem non à bono sed à malo spiritu excidisse;* quod autem principium malum habet, non potest esse bonum. Duodecimam denique difficultatem movent ex libris Carolinis anno 1549. sub Apocrypho nomine Eli. Phil. primum in lucem editis, qui imaginum cultum & venerationem reprehendunt.

XIX. Ex Ratione demum 1. Imago cum sit res inanimata, non est capax honoris. 2. Imago non est sancta ratione materiæ, quæ est aurum, argentum, lignum, marmor &c. nec ratione formæ: quæ est figura accidentalis, opus hominis: nec ratione respectus ad exemplar; qui est naturalis ad corpus alienum abstrahendo à sanctitate: nec ratione relationis ad sanctitatem exemplaris, quæ est tantum conficta per nostram imaginationem: nec ratione alterius rei, quæ in ipso sit, cur ergo honoretur? 3. Homo est etiam imago Dei, & tamen non adoratur.

XX. Error iste ab universa Romano-Catholica Ecclesia in diversis Concilij dirigente Spiritu Sancto damnatus fuit. Eidem perpetuus Ecclesie usus: Unanimis Patrum consensus: Et gravia Rationum momenta adversantur, ut supra vidimus. Si Calvinistæ, Lutherani, & alij Sectarij pro sua miserabili cæcitate hæc non vident; nec capiunt, agnoscant saltem, quod ipsimet facere consueverunt. Ipsi magnis sumptibus atque artificijs curant depingi, formari, sculpi, exornari, & conservari statuas Regum, ac Principum: Imagines suarum Uxorum, Filiorum, Parentum, Avorum, etiam Prædicantium. Quæ ergo infamia est, Imagines Christi, Beatissimæ V. Mariæ, & aliorum Sanctorum conspuere, abolere, & exterminare? Nimirum pluris illos faciunt, quam Christum B. V. cæterisque Sanctos infernalibus Spiritibus acti, qui cum omni se honore per superbiam suam æternum spoliarint, eundem & Sanctis Dei ad suarum ruinarum complementum assumptis invidentes per hæreticos familiaria sua instrumenta omnibus modis impedire nituntur. Sed irritò effectu. *Nimis enim honorati sunt amici tui Deus: nimis consortatus est principatus eorum.* Psal. 128. v. 13. *Et sic honorabitur, quem Deus Rex Cælestis honorare voluerit.* Esther 6. v. 9. *fremant licet diabolus & omnes ejus ministri.* Objectionum moles neminem terreat, elumbes sunt omnes, non viribus & pondere veritatis sed levibus mendacijs, calumnijs ac ignorationijs nixæ. Itaque.

XXI. Respondeo 1. ad Testimonia ex Sac. Scriptura. Exod. 2. *non facies tibi sculpsile* (quod repetitur Deuter. 5.) septuaginta vertunt idolum, imaginem Dei falsi & ficti. Non ergo prohibetur hic quævis imago; illa sola prohibetur, quæ divina Natura ex se incomprehensibilis ad vivum representatur (ut Idololatræ fingebant) idque sive ea per se, vel in se representetur, sive per aliquam creaturam v.g. solem, lunam, vitulum &c. In hunc modum expli-



explicans se infra v. 23. Spiritus Dei, quid intel-  
ligat per sculptile ait: *non facietis Deos argenteos, nec  
Deos aureos.* Et patet clarissime in Levit. c. 26. v. 1.  
*non facietis vobis idolum, & sculptile, nec insignem lapidem  
ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.* Ergo seclusa  
adoratione & periculo idololatriæ, non vetatur  
hic usus imaginum, seu Dei veri, seu creaturæ  
rum, ut præter alios bene Tanner Tom. 3. D. 5.  
q. 2. n. 105. & sequentibus. Quomodo enim aliàs  
Deus ipse post hoc præceptum iussisset duos Che-  
rubinos etiam in Sancto Sanctorum collocari?  
Judæi tamen maxime posterioribus sæculis con-  
scij suæ infirmitatis & pronitatis in idololatriam,  
quo remotiores forent ab omni periculo, omnem  
imaginum usum sibi ultrò interdixisse videntur;  
& hoc est, quod Philo, Josephus, Origenes, &  
alii apud Trinum in cit. Text. adducti subinde  
insinuunt, scilicet illicitum fuisse Judæis imagi-  
num usum, non lege naturali, aut positiva DEI,  
sed proprio decreto & majorum traditione ubi-  
que recepta. Nihilominus cogebantur subinde  
imperio Tyrannorum huminos admittere Cæsaris  
imagine notatos, ut colligitur ex Matth. 22. v. 20.  
*Cujus est imago hæc & superscriptio? dicunt ei Cæsaris.*  
Nihil ergo hinc erui potest contra usum vel cultum  
imaginum inter Christianos; quia apud hos nec  
tale periculum, nec talis lex existit. Videatur Tan-  
ner loc. cit.

XXII. Quoad illa loca Sac. Scripturæ, quibus  
idolorum cultus prohibetur. Imagines non sunt  
Idola, quantumvis enim Grammatici Græci non  
distinguant inter Idola & Imagines; Theologi  
tamen in materia de Fide non admittunt hanc  
etymologiam; alioquin etiam Christus, qui est  
Imago Patris 2. ad Corinth. 4. v. 4. erit Idolum.  
Imago igitur est *verissima expressio alicujus rei*: sic e-  
nim eam proprie SS. Patres describunt. Greg. Na-  
zianz. orat. 36. quæ est 4. de Thol. *hæc Imaginis na-  
tura est, ut exemplar suum imitando referat.* August. L.  
de Genes. ad Litteram: *omnis imago similis est rei,  
cujus imago est.* Clarissime Joan. Damasc. orat. 3.  
de imaginibus. *Imago similitudo est, exemplum atque  
effigies, quæ illum in se, cujus imago est, exprimit.* Idolum  
vicissim describitur *falsa expressio alicujus rei.* Sicu-  
ti habemus apud Habacuc. 2. v. 18. *Quid prodest scul-  
ptile, quia sculpsit illud factor suus, conflatile & imaginem  
falsam?* Ex hoc discrimine sic concludere possumus.  
Idolum est falsa imago. Imagines Christi,  
Beatiss. Virginis, & Sanctorum non sunt falsæ ima-  
gines. Ergo Imagines Christi, Beatissimæ Virgi-  
nis & Sanctorum non sunt idola. Atque hoc ar-  
gumento utitur Eutyminus contra Bogomotos hæ-  
reticos in Panopl. P. 2. Tit. 23. c. 1. Baruch. c. 6.  
illas imperfectiones idolorum per ludibrium Gen-  
tibus objecit, qui ipsasmet imagines pro dijs ha-  
bebant; quod pleræque Gentes fecisse; restan-  
tur SS. Scripturæ & P. P. passim Sapient. 13. v. 10.  
dicitur de illis: *Infelices sumi, & inter mortuos spes  
illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum sua-  
rum.* Act. 17. v. 29. dicit Apostolus: *genus ergo cum  
simus Dei, non debemus assimilare auro & argento, aut  
lapidi aut sculpturæ artis: & cogitationibus hominum  
divinum esse simile.* Videri possunt Chryostom. hom.  
38. in cit. locum Pauli. Athan. orat. contra Gen-  
tes, & alij; quod si tamen aliqui ex Gentilibus al-  
liter senserint, non ipsas Imagines pro Dijs habendo,  
sed eos tantum representatos, contra illos non  
procedebant illa argumenta Baruch, sed alij re-  
lis erant oppugnandi, quæ minime defunt. De-  
mum longè falsissimum est, Judæos in idolis per-

inde verum Deum coluisse, ac Papistæ in imagini-  
bus clamant se Christum venerari. quid clarius his  
verbis Psalmistæ psal. 105. v. 35. sic de Judæis can-  
nentis: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera  
eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & factum est il-  
lus in scandalum, & immolaverunt filios & filias suas da-  
monibus.* Et antea in eodem Psal. v. 20. *Mutave-  
runt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fo-  
enum, oblitii sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magna-  
lia in Ægypto.* similia habeatur Deut. 32. v. 17. *Im-  
molaverunt demonijs, & non Deo.* par est ratio de Gen-  
tilibus, qui in suis idolis nunquam verum Deum  
adoraverunt Juxta illud Psal. 95. v. 5. *dij gentium  
demonia.* 1. ad Corinth. 10. v. 20. *quæ immolant Gen-  
tes demonijs, immolant non Deo.*

XXIII. Exempla adducta nequaquam patro-  
cinantur Adversarijs. Michas Judic. 17. non ideo  
dixit, *nunc scio, quia benefaciet mihi Dominus,* quod  
habeat idolum, sed quod in domo suâ habuerit  
Personam Levitici generis, propter cujus san-  
ctitatem sperabat à Deo sibi benedictionem largi-  
endam, id clarè ostendunt hæc ejus verba v.  
19. *nunc scio, quia benefaciet mihi Deus habenti Le-  
vitici generis sacerdotem.* De reliquo tamen Michas,  
quàm Levitam ac Dannistas simulachrum pro  
Deo habuisse, non obscurè constat ex verbis  
Michæ sic conquerentis contra Dannistas v. 24.  
*Deos meos, quos mihi feci, tulisti, & sacerdotem &  
omnia, quæ habeo, & dicitis, quid tibi est? Demum  
quod Judæi ante vitulum non vitulum, sed  
verum Deum Israël adoraverint, manifestæ  
falsitatis conjungitur à Scriptura, quæ apertissime  
contrarium demonstrat Deuteroh. 37. v. 18.  
Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es DEI  
Creatoris tui.* Et Psal. 105. cit. v. 19. *& fecerunt  
vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile ibidem  
v. 21. oblitii sunt Deum, qui salvavit eos.* Jeremiæ 2.  
& alibi. Ergo alius fuit cultus, quem Judæi  
idolis suis deferebant, quàm sit ille, quem nunc  
Catholici imaginibus exhibent; siquidem nos Ca-  
tholici sacras imagines non veneramus ut Deum,  
sed Deum, quem illæ repræsentant, respecti-  
vè colimus, & adoramus.

XXIV. Respondetur 2. ad difficultates ex Con-  
cilijs & Patribus. Ad 1. ex Concilio Eliberino. Non ab-  
solute ab hoc prohibitum fuisse usum & pictu-  
ram imaginum; sed solummodo, ne immédia-  
tè in ipsis templi parietibus depictæ extarent,  
& defluente crustâ parietum deformarentur, aut  
incurvis & ludibrijs Ethnicorum eò tempore  
ante Constantinum M. grassantium dedecora-  
rentur; quâ ratione etiam olim prohibitum e-  
rat, Crucem in pavimento sculperè, ne pedibus  
conculcarentur. Ita cum pluribus Vasquez L. 2. de  
adoratione à n. 132. Ad 2. ex concilio Constantinopoli-  
tano Anno 730. celebrato. Istud Concilium sub Leone  
Isaurico non fuisse legitimum, eò quod nec Pon-  
tifex, nec ullus ejus Legatus interfuit, imò nullus  
Episcopus; siquidem nullus Historicus alicujus  
Episcopi meminit, sed tantum hominum pro-  
fanorum. Videri potest Vasquez D. 106. n. 40.  
Ad 3. Ex Constantinop. Anno 754. & 55. celebrato. Hoc  
quoque sub Constantino Copronymo non fuisse legi-  
timum, quandoquidem legitimus Patriarcha  
Constantinopolitanus nomine Germanus non inter-  
fuit, sed eius loco intrusus Anastasius. Unde  
acta ejusdem pseudosynodi irrita statim declara-  
vit Stephanus Papa; quin & ipsi Patriarchæ A-  
lexandrinus, Hierosolymitanus, & Antiochenus







XXVIII. Ad 12. denique difficultatem ex Libris Carolinis. Isti Libri ex communi DD. sententia non sunt Caroli M. Imperatoris, sed cuiusdam Sectarij, qui Prædicantium spiritu auctus hæreticum suum venenum scripto radere, ac diffundere fuit ausus. Verùm Carolus tanquam Sapientissimus Princeps mox eos per Engelbertum Capellanum suum transmisit supremo librorum & doctrinarum Censori Adriano summo Pontifici, qui etiam censuram ac responsum de iisdem dedit. Ex quo responso liquet, prædictos libros; neitiquam fuisse opus Caroli M. Imperatoris, sed plurium hæreticorum, qui ad incudem suæ prævæ voluntatis & damnatæ doctrinæ illud fabricarunt. Nam inter alia Adrianus in refutatione c. 56. ita loquitur ad Carolum M. Imperatorem: *Ecce ipsum unum tenorem in hoc particulari sæpius referunt; nempe illi, qui libros hosce scriperunt, Discipuli scilicet Severi Episcopi Massiliensis Iconomachi. Et postea: De verò vestra protectissima à Deo excellentia, orthodoxæ fidei stabilitate roborata freti existimus; quæ radice ejus firmissima à pravus & infidelibus hominibus nunquam concutitur & movetur. Ecce Adriani Pape iudicio Carolus M. Imperator ita firmus est in fide Romano-Catholica, ut non tam citò & facile per talia hæretica scripta seducatur. Quomodo ergo eorundem Auctor vel Approbator fuerit? videat potest Jacob Kellert in Antiquo Papatu Tom. 2. à fol. 242. Ubi pluribus demonstrat, nec Synodum VII. Generalem Nicææ celebratam à Concilio Francfortiensi sub Carolo M. damnatam, nec Libros Carolinos fuisse ejusdem Imperatoris. Item Nicolaus Schaten in Lib. supra citato, cujus titulus: Carolus M. à fol. 595.*

XXIX. Respondetur 3. Ad argumenta ex Ratione desumpta. Ad 1. Imaginem non honorari propter se, & absolute, sed propter prototypon adeoque respective. Instat Amelius fol. 263. si imago non debet honorari propter se, tum non quia est imago; Si non, quia est imago, tum non relative; etenim quæ talis est respectiva. Respondet, falsum esse priorem hypotheticam; cum vox imago diversimodè sumatur; primò secundum inadaquatam; deinde secundum adæquatam suum conceptum; nam imago cum sit relativa, duo importat, fundamentum & terminum. Licet ergo honoris capax non sit; quatenus solum dicit fundamentum; est tamen quatenus cum termino suo sumitur; sic Legatus Principis non honoratur propter se; sed propter principem, quem representat. Ex quo tamen inferri non potest, Legatum non honorari; quia Legatus est; ideo enim ipse honoratur, ut per ipsum honor in Principem transferatur. Ad 2. Ad honorem non requiri physicam objecti excellentiam, sed sufficere moralem ex communi hominum estimatione ortum. Nam aliàs nec Magistratus, nec Doctores forent honorandi, cum nec Jurisdictio in Magistratibus, nec Gradus Academicus in Doctores aliquid physicum importet. Sufficit ergo moralis excellentia ex respectu exemplaris nata; ut patet ex eo, quod supra §. V. de Imperatore Theodosio injuriam imagini suæ factam ulciscente diximus. Ad 3. Deum in Sanctis & Hominiibus coli posse, veluti in sua creatura, & quidem cultu Patriæ. Verùm licet hic cultus, uti etiam in alijs rebus creatis per se & ex natura sua non sit illicitus, moraliter tamen & regula-

riter non est adhibendus, uti bene Tanner D. 5. q. 2. cit. n. 6. periculum enim foret; ne v. g. homo per se coli videretur; quia etiam propter se homo est capax honoris.

XXX. Error secundus est: Nullam SS. Trinitatis, Christi, & Crucis imaginem Dei esse pingendam, honorandam; & idololatrias esse, qui istud faciunt. Ita singulariter Calvinistæ ex suo Pseudo-magistro L. 5. Instit. cap. 11. qui inde nos idololatriæ peculiariter incusant. Ita Calvinus loc. cit. scribit de Catholicis: *tantum abest, ut ab illorum (Gentilium) idololatria causam suam sejungant &c. dum symbola, quibus Deum sibi figurant, & suo ingenio sibi comminiscuntur, & suis manibus consingunt &c.* Beza in colloquio Mompelgartensi ausus est dicere: *fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari. horrenda blasphemia!* Paræus in epist. ad Rom. dub. 18. disertè scribit: *Omnes esse idololatrias, qui truentur imaginem Christi non minus, quàm qui colunt imagines serpentum, & altarium bestiarum.* His adstipulantur moderni cæteri Calvinistæ Molinæus in Neopap. à fol. 60. Amelius contra Bellarm. Tom. 2. L. 6. c. 5. & 6. &c. Probat. 1. Vadiani; sive Audiani pinxerunt Deum in humana forma, ut testatur Nicephorus L. 18. c. 53. quod Gregorius II. in epist. apud Baronium anno Christi 716. relata, damnavit, quamvis in margine subjungat, *hanc regulam in Ecclesia non amplius observari.* 2. Irenæus L. 1. c. 24. reprehendit Gnosticos propter aliquas imagines Christi à Pilato, ut aiebant, factas. 3. Augustinus L. 1. de Confes. Evang. cap. 10. scribit: *Sic omnino errare potuerunt, qui Christum & Apostolos non in Sacris codicibus; sed in pictis parietibus quaesierunt.* 4. Ezechias Rex serpentem aeneum confregit. Reg. 18. v. 4. Ergo & imago Christi confringenda est. 5. Exterior pictura DEI & Christi facile homines simpliciores ac rudes in errorem inducit, ut credant Deum attributis membris consistere, Christum purum hominem esse &c.

XXXI. Contra errorem istum superius jam diximus, imagines ipsius Dei ac S. S. Trinitatis rectè construi, & ad cultum ac venerationem proponi. Nam quod Sacra Scriptura Deo tribuit, id homo etiam de DEO concipere ac pingere potest. Atqui Sac. Script. attribuit DEO Oculos Psal. 10. v. 5. Aures Psal. 5. v. 2. Faciem Psal. 50. v. 1. Manus Psal. 144. v. 16. Pedes Psal. 98. v. 5. *Adorate scabellum pedum ejus &c.* Quod autem Calvinistæ adeo oderint imagines Dei, SS. Trinitatis, Christi, ac S. Crucis mirum minimè est, diaboli nihil etiam magis oderunt, quàm DEUM Trinum & unum, ac Sanctissimam Christi Crucem. Pro solutione argumentorum notandum ex Bellarmino L. 2. de Imag. c. 8. tribus modis posse aliquid pingi. 1. ad exprimendum perfectam similitudinem formæ naturæ rei ipsius; & hoc modo res corporeæ solum pinguntur, quæ lineamentis & corporibus præditæ sunt; & si quis hoc modo Deum pingeret, verum idolum construeret; 2. ad historiam aliquam exprimendam, quæ ratione, si quis pingere vellet expulsionem Adam ex paradiso, proponeret Deum in forma hominis ambulantem; Adam verò & Evam inter arbores se occultantes, ac demum Angelum in forma adolescentis gladium gestantem in manu atque Adamum cum conjugè sua expellentem. Et hoc modo qui pingeret, non vellet representare ipsam DEI vel Angeli naturam, sed solum penicillo



penicillo per picturam exhibere oculis id, quod alius exhibet voce auribus, recitando Sacram Scripturam, atque hoc modo Deus pingi potest. 3. Pingi aliquid potest extra historiam ad explicandam Naturam rei non per immediatam & propriam similitudinem, sed per analogiam, sive metaphoricas mysticisque significationes; quemadmodum pingimus Angelos veluti formosos pueros, nudis pedibus &c. ad significandum, eos semper viribus pollere, moveri celerrimè, splendore gratiæ & virtutum præditos, item Christum in forma Ovis, & Leonis, ad significandum in illa mansuetudinem, in hoc fortitudinem illius, Hic tamen pictorum restringenda est licentia, ne limites rectæ rationis excedant, & pro libitu suo, nescio, quæ monstra fingant, quæ hæreticis occasionem risus & contemptus præbeant. hoc notato.

XXXII. Responderetur. *Ad 1.* Vadiani stolidè sibi persuaserunt, Deum habere verum corpus, & per se esse formatum instar hominis. Jacobitæ etiam antiqui hæretici in Armenia, quorum meminit Nicephorus loc. cit. putarunt divinam Naturam esse commixtam cum humanâ, & ita simul crucifixam; & quia etiam credebant tres personas in una natura, concesserunt Patrem quoque & Spiritum Sanctum esse crucifixos. Construxerunt igitur tres cruces, easque vocarunt Imagines Trinitatis. Gregorius II. Papa in epist. ad Leonem Isauricum damnat merito omnes tales abusus, hoc est, imagines, quibus ipsa Dei ac Sanctissima Trinitatis Natura in se & verissimè exprimitur; non autem idem Papa rejicit imagines Deum ac Sanctissimam Trinitatem metaphoricè solum representantes, quæ etiam tunc temporis nondum in usu fuerunt, ut sumitur ex Baronio loc. cit. cujus hæc sunt verba: *Postea usu venit ut pingatur in Ecclesia Dei Deus Pater & Spiritus Sanctus, non quod sub aspectum cadant, sed, ut apparuisse in divinis scripturis leguntur sub forma Senioris, & sub imagine columbæ; quod enim describitur, idem & pingitur, cum sit eadem ratio utriusque, sicuti nimirum & penicilli.* Ita Baronius. Ex quibus manifestè apparet contra Petrum Molinæum fol. 60. falsum esse 1. Vadianos & Jacobitas eandem nobiscum habuisse doctrinam de Imaginibus. 2. Gregorium II. Papam damnasse usum imaginum, quia Deus ac SS. Trinitas improprie solum & metaphoricè pinguntur. 3. Cardin. Baronium asserere, regulam, ex qua Gregorius Imaginum usum damnavit, non esse amplius in usu, cum nec verbum de hoc reperiatur. *Ad 2.* Iræneus reprehendit Gnosticos, non quod imaginem Christi haberint, sed quod istam imaginibus Ethnicorum Philosophorum Pythagoræ, Platonis, Aristotelis &c. adjunxerint, quasi illis parem, & illisque simul clam eodem gentili cultu honorarent, ut testatur Epiphanius hæresi 27. quod ipsum etiam confirmat S. Augustinus in catalogo hæres. n. 7. loquens de Marcellina hæretica sæmina, quæ hoc etiam faciebat.

XXXIII. *Ad 3.* D. Augustinum agere contra illos, qui Ecclesiam Christianam & Sacra Evangelia (quia à Christo non fuerunt scripta) rejicientes impie sparserunt, Christum Libros magicos, quibus prodigia operatus fuerit, in forma epistolarum ad Petrum & Paulum familiares suos misisse; Ideo autem eos censuerunt familiares Christi Discipulos. tum quia in multis locis vi-

derant imagines Christi, in quibus etiam Petrus & Paulus erant depicti. tum quia iidem Apostoli Romæ etiam propter sua merita & mortem, quam ibidem eodem die subierunt, valde fuerunt celebrati. Hoc S. Pater arguit erroris, & ait: *Si Sacris Evangelijs, Actibus Apostolorum, & ceteris Sacris Scripturis credidissent, futurum fuisse, ut per imagines prædicas non ita deciperentur, nec in eam ruerent opinionem, quasi Paulus & familiaribus Christi in terra adhuc degentis discipulis fuisset, cum ex Actis Apost. c. 9. aperte constet illum post ascensionem Christi primum fuisse conversum.* Itaque S. August. non damnat imagines, sed pictorum errores, quibus non semper fidendum. *Ad 4.* negando consequentiam, quæ verè est Calvinistica & non valet. Nam serpens, cessante fine, propter quem erat factus, cepit esse occasio idololatriæ 4. Reg. 18. v. 4. & ex hoc etiam capite debuit confringi; imago autem Christi non est occasio idololatriæ apud nos Catholicos, cum non alium ob finem eam retineamus, quam ut nobis Christum Salvatorem & beneficia ejus præsentet. *Ad 5.* Nunquid ex magnitudine & excellentia Solis & Lunæ Gentes occasionem sumpserunt illa astræ colendi? & tamen Deus ista creavit ob bonum finem, & homines illa licite videre possunt, non autem ipsidem abuti. Item nunquid ex verbis Sac. Scripturæ oculos, manus pedes Deo tribuentis in errore aliqui induci possent? & tamen placuit Spiritui Sancto in prædictum modum in Sac. Scriptura Deum describere: Quare non erit etiam per se illicitum, Deum sic depingi; præsertim si populus sedulo instruat, quod Deus non juxta naturam suam, sed tantum metamorphicè sic exprimitur, ut ejus memoria & beneficia summa sæpius mentibus hominum objiciantur; fieri autem instructionem illam, indicant illi versus passim noti & tempore concilij Nicæni compositi.

*Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa. Hæc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.*

Et clarius in his:

*Effigiem Christi, cum transis, semper honora. Non tamen effigiem, sed quem designat, adora.*

XXXIV. *Error tertius est, imaginem Christi & Sanctorum per se directe coli non posse absque idololatria.* Ita iterum moderni Sectarj, e quibus Amelius fol. 236. confessionem idololatriæ vocat istam assertionem Bellarmini L. 2. c. 21. *Imagines per se coli posse.* Jacob Hailbrunner in Papatu non Cathol. fol. 248. hoc ipsum eidem imputat, ut alios Calvinistas & Lutheranos taceam. Probat 1. ex Vasquez, qui D. 108. in 3. part. D. Thomæ ait, *stultitia vel idololatriæ insinulari posse, qui imaginem per se veneratur.* 2. quod hæc ratione idololatriæ cum Gentilibus introducat. 3. creatura irrationalis non potest esse objectum cultus, ita faltem, ut interior affectus submissionis ad eam referatur, cum non possit apprehendi, ut superior & injuriæ capax. 4. Concilia illum duntaxat cultum imaginum asserunt, quo in imagine directe colitur exemplar. 5. Speciatim S. Basilii Lib. de Spiritu Sancto. c. 18. unam, ait, esse glorificationem imaginis & exemplaris; quod testimonium recitatur in VII. Synodo Act. 4. & ex illo Joannes Presbyter infert: *Unde B. Pater judicavit, non esse duas adorationes, sed unam ipsius imaginis & exemplaris.*




XXXV. Errorem hunc solis hæreticis adscribimus, quatenus idololatram vocant cultum imaginum directum ex pravâ persuasione, nullum cultum religiosum deberi imaginibus. Ex Catholicis enim, si qui directum cultum imaginibus negant, faciunt ad absque censura, vel in alio prorsus sensu, quàm à nobis asseritur, ut videbimus. Itaque Respondeo ad 1. Vasquezium loqui de imagine in se & per se nudissimè spectatâ, ut est ex tali materia & forma; quomodo adorare illam, utique idololatram est. At verò nos non ita præcisè accipimus imagines, quando asserimus, illas directè coli posse, uti nobis Amelius, Hailbrunner, & alij Sectarij falso imponunt, sed semper sumimus illas etiam separatim spectatas cum habitudine ad prototypum. Ad 2. hanc esse veterum Iconomachorum calumniam ad quam Tharastus in Synodo VII. Act. 2. ait: oportere impuras verborum vanitates respuere &c. quid autem impurius ac vanoloquentius, quàm Christianos dicere idololatriæ studiosos &c. nempe quia manifestum est, maximum esse discrimen inter cultum imaginum Christianis consuetum, & inter idololatriam Gentilium; quemadmodum enim isti semper adoraverunt aurum, argentum & id, quod non est Deus, ita nos nihil adoramus, nisi verum Deum, nihil colimus, nisi Sanctos Dei Amicos, & nulli rei qualemcunque cultum attribuimus, nisi propter Deum, & propter Sanctos DEI Amicos. ut ex hæcenus dictis liquet. Ad 3. negando. Nam imago capax est honoris & injuriæ atque apprehendi à nobis potest, ut superior & excellentior ratione sanctitatis, quam suo modo participat; unde actus etiam honoris rationem non habet, nisi prout istam itidem à prototypo desumit. Ad 4. Concilia rectè asserere illum cultum, quo imagines directè coluntur propter exemplaria; quia iste fuit scopus contra Iconomachos; interea autem non negarunt alium adorationis modum; certè in contrarium nihil prorsus ex illis asseri potest. Ad 5. denique genuinum sensum esse, non quod nullus cultus esse possit imaginis, nisi quo simul directè etiam prototypum colatur; sed quia nunquam coli ita potest imago, quin saltem indirectè simul exemplar coatur; unde verissimum est, quod sit glorificatio, quod non una sint adorationes; quia, ut ait Aristoteles, ubi unum est propter aliud, ibi est unum tantum.

CONTROVERS. XLIV.

DE CULTU RELIQUIARUM.

Nomine Reliquiarum non tantum intelliguntur corpora Sanctorum, vel partes eorum, sed etiam vestes, baculi, coronæ, & alia eorum usu vel attractu sacra, ut instrumenta Martyrij, cruces, gladij, funes &c. per quæ gloriosum martyrium subierunt, & amore Christi passi fuerunt.

\* \* \*



PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Reliquiæ Sanctorum cultu & honore dignæ sunt. Ita Catholica Fides, quæ clarè proponitur à Concilio Trident. Sess. 25. Statim post initium his verbis: Sanctorum quoque Martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum spiritus Sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur. Ita ut affirmantes Sanctorum Reliquijs venerationem & honorem non deberi, vel eas aliâque Sacra monumenta à Fidelibus inutiliter honorari, atq; eorum opis impetrandæ causâ Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia. Probat 1. Ex Sac. Scriptura. 4. Reg. c. 13. v. 20. refertur, hominem mortuum, cum projectus esset in sepulchrum Elises Prophete, & tetigisset ossa ejus, revixisse & stetit subito super pedes suos. Act. 5. v. 15. dicitur D. Petri umbra saluti fuisse agris: item sudaria & semicinctia D. Pauli Act. 19. v. 12. Quod si res æternæ sanctis adhærentes istud potuerunt, & propterea magnâ contentione à Christianis quæsitæ fuerunt, cur non potius eorum ossa & reliquiæ? unde præclare D. Chrysost. Serm. 33. de virtutibus & vitijs ait: Sicut virtus erat in veste Pauli, & umbra Petri ad sanandum egros, ita in Sanctorum cineribus ad expellendum demones, Psal. 98. v. 5. adore scabellum pedum ejus, id est, Arcæ, cui Deus propitiatorius insidens pedes imponere videbatur, & propterea vocabatur scabellum pedum ejus. 1. Paralipom. 28. v. 2. Si autem scabellum pedum DEI adorandum est, cur non etiam aliæ reliquiæ, quas Deus suo tactu sanctificavit, cum in terris esset. Exodi 13. v. 19. Moyses ex Aegypto discessurus honorificè secum asportavit ossa Josephi. Et Actorum 8. v. 2. Stephanum post martyrium curaverunt viri timorati. Si autem Josephi ossa, & Stephani corpus ita curâ & honore affecta sint, cur non aliorum etiam Martyrum & Sanctorum DEI Amicorum ossa & corpora honorari possint? Certè ex Moysis exemplo circa ossa Josephi infert Reliquiarum cultum S. Hieronymus in epist. ad Ripar. adversus Vigilantium. Et de cura circa S. Stephanum sic scribit Pius Papa antiquissimus Martyr ad Justum Episcopum Viennensem: Cura autem Sanctorum Martyrum corpora, sicut membra DEI, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum.

II. Probat 2. Ex perpetuâ Praxi & Traditione Ecclesiæ, Nam nullum tempus assignari potest, quo primum ceperit hic cultus Reliquiarum. De Principibus Apostolorum Petro & Paulâ scribit D. Gregor. L. 3. epist. 30. post meridiem. Fideles Orientis eo ipso tempore, quo illi passi fuerunt, venisse Romam, & eorundem tanquam civium suorum reliquias postulasse. Verum ubi eas extra urbem ad duo milliaria detulissent, divino fuisse miraculo prohibito ne ulterius deserrent, adeo ut Fideles Romani eam tandem opitulante Deo receperint & (uti addit Gregorius) eo ipso loco, ubi ipsius Gregorij tempore visebantur, collocarint. S. Onesimi S. Pauli discipuli reliquias Româ Ephesum fuisse translatas, legitur in martyrologio Rom. 15. Febr. de S.



Policarpo discipulo S. Joannis testatur Baron. Anno Christi 169. ejus reliquias pio studio fuisse à Christianis collectas. Sedem S. Jacobi primi Hierosolymorum Antistitis diu honorifice asservatam, uti & alia Sanctorum utensilia, Scribit Nicephorus L. 6. c. 16. Sedem ipsius D. Petri singulari honore usque hodie servatam Romae videmus. S. Hieronym. in vita S. Pauli primi Eremite recenset, quanti fecerit D. Antonius tunicam ejus ex palmarum folijs ab illo contextam scribens, ipsam diebus solemnibus tantum Pascha & Pentecostes ea amiciri solitum fuisse. Eandem ipse D. Hieron. cunctis Cressi opibus anteponit. Quantà in veneratione D. Pauli catenas habuerit S. Chrysostomus ipse varijs in locis eloquitur, homil. 8. c. 4. ad Ephes. ait, cupèrem videre catenas illas, quas quidem verentur & horrent demones, venerantur verò Angeli. Ecce quàm in ferventi usu per primos 600. annos fuerit veneratio sanctarum reliquiarum! de sequentibus 1000. annis superfluum foret aliquid dicere. Videatur Cardin. Baronius ad annum Christi 594.

III. Probatur 3. ex Concilijs, & S.S. Patribus. Concilium Gangrense anno 336. celebratum contra Eustathianos, qui memorias seu loca Martyrum, ne corpora eorum venerari viderentur, ingredi contemnebant, can. 20. sic decernit: *Si quis conventus, qui per locos & Basilicas Martyrum fiunt, accusaverit, memoriasque (Basilicas) Sanctorum contemnendas putaverit, anathema sit.* Concilium Generale Nicænum II. Act. 3. *Reliquias vocat fontes salutaris, quibus Deus multa beneficia hominibus praeferat.* Et Act. 7. *jubet Laicum excommunicari, qui reliquias Martyrum contemnit, & non ut rem sacram tractat &c.* De translatione S. Ignatii Martyris scribit Evangelius L. 1. Hist. c. 16. *Tunc & divinus Ignatius &c. postquam ossa illius, quae tanquam robustissima relicta fuerunt à bestijs, Antiochiam deportata & in cameterio condita essent, multo post tempore per Theodosium transferuntur. cui Opt. Deus id animi ad hoc dederat, ut vir divinus majori potiretur honore, ac templum, quod olim demonibus deputatum fuit (Tycheum ab incolis nominatum) victori ac Martyri dedicaretur.* Et mox ad finem: *hoc autem à Servatore Deo ad eum modum disponebatur, ut & eorum virtus, qui martyrium pertulerunt, manifestaretur, & S. Martyris sacra Reliquia in sacrum locum puicherrimo templo cobonestatum transferrentur.* D. Hieronymus Lib. contra Vigilantium SS. Reliquiarum contemptorem sic scribit: *dolet, Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari vel proci in sterquilinum, ut solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur? Ergo Sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegius fuit Constantinus Imperator: qui Sanctas Reliquias Andrea, Lucae, & Timothei transfudit Constantinopolim, apud quas demones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illarum se sentire praesentiam consistunt? Sacrilegius dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Judea transfudit in Traciam? omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum Populi, qui occurrerunt S. Reliquijs, & tantà letitia, quasi praesentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palaestina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem una voce resonarent? haec Hieronymus, quibus nescio quid contra moderatos Sectarios efficacius dici possit. Plura tamen luculenta Patrum testimonia videri possunt apud*

Bellarminum L. 2. de reliquijs c. 3. Bernardinum Verweis in Speculo Eccles. fol. 260. Jacob Keller in Catholico Papatu Tom. 2. fol. 488. & 489.

IV. Probatur 4. *Ex mira Dei Providentia circa Corpora & Reliquias sacras, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David Psal. 33. v. 31. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Et ipse Christus Lucae 21. v. 18. *capillus de capite vestri non peribit.* S. Barnabas Antymo Salaminae Episcopo apparsens indicavit, quo loco ossa sua & una volumen, in quo D. Matthaei Evangelium exaraverat, reperiet, & verò utrumque in honore habuit Zeno Imperator, & Corpus templo Augustino honoravit: volumen autem auro includit, ut refert Baron. in hist. Ecclesiast. ad Annum 485. Taceo, aliorum plurium corpora divinitus reperta esse, ut honorifice alibi sepelirentur. Gisbertus Francorum Dux, cum hortatu S. Killiani Geilampellicem domo eicere pararet, ipsa praeveniens in absentia Ducis S. Episcopum sociisque viri eiecit, & corporibus Sanctorum stabulum superaedificavit; sed locum stabulantes equi nullis fordibus cantaminarunt, & sicarij omnes ipsaque Geila miserimè perierunt, ita DEO Servorum suorum corpora honorante & manifestante. S. S. 8. Julij. Corpus S. Francisci Xaverij in calce sepultum permansit integrum & incolume multis mensibus & adhuc nullà labe corruptum aut faetore infectum Goae summa in veneratione habetur & asservatur. Et quis tandem recenset modos & miracula, quibus Deus Sanctorum reliquias servavit & cohonestavit? Aliae perpetuo incorruptae permanent. Aliae oleum stillant. Aliae splendorem emiserunt. Aliae viventium functiones praestabant. Aliae suavissimum odorem exhalabant? Quin & circa ea, quae Martyres quoquo modo contingebant, mira Dei Providentia apparerent. Carena S. Petri, quae Jerosolimis vincit erat, dum comparabatur cum illa, quae eum Romae vinxerat, subito in manibus Pontificis mirabiliter connexa, & una ex duabus effecta est, ut Festum S. Petri ad Vincula inde institutum satis demonstrat. Hinc sic ratiocinari licet: Quos Deus honorat, & nos decet honorare. Sed Deus honorat Reliquias Sanctorum suorum. Ergo &c.

V. Probatur 5. *ex Miraculis & Virtute caritatem.* Inter innumera pelluntur in primis demones, ut experientia, & non rarus eventus docet, & testatur S. Chrysost. hom. 66. ad populum, cum ait: *Sanctorum ossa demones sistent, & torquent, & vincunt ab illis solvunt saevissimis vinculis.* Rursus tempestates sedarunt, morbos depulerunt, mortuos suscitaverunt, pestem sustulerunt, naufragia averterunt. Non pauca ejusmodi recenset August. Lib. 22. de Civit. Dei. c. 8. plura Gregorius Turonensis Lib. 1. de gloria Mart. c. 6. Majore admiratione dignum est, quod refert Petrus de Natalibus de SS. Firmo & Rustico Martyribus Veronae in patria sua occisus: funus utriusque Caëtes curalle meratorum os habitumque indutos, & nobiles merces (ossa Divorum) non procul Carthagine deposuisse, horum pretium indicasse genium malum ex alieno loco locutum, & praesentia eorum mirè discrutatum: postea in Istriam translata corpora, sed & Istros tanti haec aestimasse, ut expetenti Veronae (cui imbrem caelum tamdiu negaturum se dixerat, dum in Urbem Divi exules revocarrentur) non aliter vendere voluisse, quam auro tanto appenso.



penso, quantum corpora penderent, sed favisse patriæ licet ingratae Martyres, cumque ad libellam examinarentur, tam leves se præstitisse, ut ex auro corrogato triens sufficeret. Sed quid opus talia referre, cum pleni sint miraculorum libri; quotidiana etiam experientia id ipsum apud Sanctorum tumulos varijs in locis per univèrsam orbem docet; quot ibi tabulae, quot picturae, quot anathemata videntur: tot argumenta receptorum sanitatum, & aliorum beneficiorum meritis & interventu Sanctorum ad eorum Reliquias habentur. Unde jure meritissimo S. Damascenus L. 4. de orthodoxa fide c. 1. Sacras istas Reliquias vocavit *Fontes salutiferos, ex quibus pluvium ad nos beneficia manant, suavissimumque unguentum profuit*. Si igitur Deus adeo glorificare voluit Sanctos suos, & ad præsentiam illorum tot miracula perpetrare, an non hoc ipso vult, ut & nos veneremur eosdem?

VI. Probatur denique 6. Ratione. Tum quia Sanctorum Corpora fuerunt organa Spiritus S. viva & voluntaria, in quibus & per quae mirabiliter operatus est: fuerunt ejus habitaculum, & eidem S. Spiritui ipsique Deo fidelissime servierunt. Tum quia habent relationem ad compartes suas Animas iam glorificatas, & in Cælo positas, & hæc obitutum figunt in illa suo tempore reassumenda, ut sicut olim in tribulatione, ita tunc in gaudio se mutuo comitentur. Cur ergo, sicut Animæ jam glorificantur in cælo, ita Corpora non honorificè habeantur in terra? Tum denique quia tali honore, quem Sanctis pro meritis eorum impendimus, nos ipsos admonemus ad insistendum vestigijs eorum, & imitanda heroica ipsorum facta. Nam dum eorum honorem intuemur, cogitare incipimus: Ecce isti homines fuerunt varijs, sicuti nos miserijs subiecti, & tamen Deo auxiliante ad tantam Sanctitatem pervenerunt. Tu non poteris, quod isti & istæ? an verò isti hoc in se potuerunt, & non potius in Domino Deo suo?

VII. *Doctrina Secunda.* Vera Crux, in qua Christus pependit, aliæque Reliquiæ tanquam res sacræ possunt etiam per se, ac seorsum aliquo modo coli, & adorari, non adorato directè exemplari, seu personâ illa ad quam pertinent. Ita Adamus Tanner Tom. 3. d. 5. q. 2. n. 115. ubi 30. prope Authores pro hac sententia assert, quibus meritò iungitur D. Thomas tum alibi, tum 22. q. 99. a. 1. & 3. ubi ait. *Ex hoc, quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum, & sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur in Deum.* Et inferius addit: *in eiusmodi rebus Personas Sanctorum quodammodo venerari &c.* quæ ultima verba apertè indicant, eum loqui de honore, quo Deus ipse & Sancti directè non coluntur. Probatur doctrina nostra. Tum ex S. Scriptura. Ad Philippens. 2. v. 10. *In nomine JESU omne genu flectatur.* quod de ipso etiam Nomine, non tantum de ipsa re significatâ ex communi quasi fidelium sensu accipiendum esse bene notat Abulensis in c. 20. Exodi q. 5. & 7. Tum ex Concilio Trident. Sess. 25. cit. agente Sanctorum Corpora, quæ viva fuerunt membra Christi, & templum spiritus Sancti, veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur &c. ubi loquitur planè de veneratione distincta ab ea, quæ directè coluntur ipsi Sancti, sicut & ratio colendi diversa assignatur, Tum ex communi

Ecclesiæ praxi; videmus enim Reliquias, vasa, & alias res sacras inanitas frequenter ita coli, ut bene advertit Bellarm. L. 2. de Jmag. c. 21. ubi ait. *omnium sensu Evangelia ac Sacra vasa per se ac propriè coli.* Tum quia res Sacra quæ talis, potest aliquo convenienti modo coli seu adorari, ut constat. Reliquiæ & cætera, de quibus loquimur, sunt res sacræ (Sanctitate morali, & juxta humanam æstimationem.) ratione habitudinis ad prototypon seu Personas, quas concernunt, etiam si istæ cum alijs directè non apprehendantur. Ergo &c. Tum denique quia omni rei aliquo modo apprehensæ, ut superiori, licet aliquo convenienti modo se submittere. Atqui res ejusmodi sacræ, etiam ut distinguuntur à Personis, quas concernunt, possunt aliquo modo apprehendi ab homine, ut superiores & excellentiores. Ergo &c. Maj. est evidens, cum utique per actum liceat homini suam de re aliqua æstimationem veram, quam habet, contestari. Minor. Prob. quia si consideremus res ejusmodi non secundum esse absolutum, sed secundum habitudinem repræsentationis partis, instrumenti &c. jam hoc ipso induunt aliquam rationem Sanctitatis, ut superius ex D. Thomâ retulimus; quæ ratione præcisè quisque meritò in hac vita (saltem considerando se ipsum, uti verè est, peccatorem) potest se inferiorem existimare.

VIII. *Doctrina tertia* Ad cavendos errores falsarum reliquiarum, qui vel ex nequitia hominum interdum accidunt, vel ex errore aut ignorantia contingunt, statutum est in Concil. Lateranensi can. 61. Et in Trident. Sess. 25. ut nullæ novæ Reliquiæ sine approbatione Ecclesiasticæ potestatis, publicæ venerationi exponantur hoc discrimine; ut si Reliquiæ sint alicujus Sancti nondum canonizati, res ad Pontificem deferatur, cujus est canonizare: Si verò alicujus Sancti antiqui pridem Canonizati, sed recens inventæ, Episcopus cum viris doctis dijudicet. Quæ cautelâ adhibitâ Deus non facile permittet fideles decipi falsis Reliquijs. Unde refert Sozomenus. L. 5. c. 8. Mulierem Christianam ossa Martyrum, quæ Gentiles camelorum & asinorum ossibus permiscuerant, revelante DEO, discrevisse.

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HÆRETICORUM.

XI. *Error primus.* Crucem Christi non esse venerabilem. Ita inimici crucis Judæi, Gentiles, Mahometani: Ex Hæreticis, Petrobrusiani, Wicleffistæ, & Calvinistæ cum suo Magistro L. 1. Justit. c. 11. §. 7. ac Lutherani, qui licet non perinde ac priores crucem abominentur, evertant, & confringant, ei tamen cultum, quem S. Cruci Nos tribuimus, veluti supersticiosum negant, adherentes suo Magistro Lib. de formula Missæ sic agente. *Festa Sanctæ Crucis anathema sunt. Movenitur.* Tum quia crux dolorem & ignominiam attulit Christo, Tum quia filius non amat, aut honorat patibulum, in quo Pater ejus fuit suspensus. Tum quia hostes Christi



gaudebant de morte Christi, non amici qui lugebant. Tum quia si omnes cruce colendæ sint, quia Christus in cruce pependit, cur non etiam omnia præsepia, sepulchra, columnæ, clavi, spinæ, imò asini, quia Christus asino vectus est? Tum quia superstitio est, characteribus tribuere virtutem. Ita Amestius Tom. 2. à fol. 267.

X. Error iste semper Judæorum, Gentilium Turcarum fuit proprius; eundem Christianos ad se traxisse, res planè pudore ac dolore plenissima est. Nam ab ipso exordio Ecclesiæ, dum odio Gentilium & Judæorum Crux Christi latebat, Christiani usi sunt imagine Crucis, sive in materiâ stabili, ut ligno, lapide &c. sive in signo manu formato in aère, idque pluribus ex causis. 1. ut repræsentet Christum Crucifixum. 2. ut in signum Christianæ professionis usurparetur; & ideo Cruces erigebantur vel in processionibus præferebantur, vel in fronte figurabantur, & fideles se in Cruce Christi gloriari profitebantur. 3. signabant se signo Crucis contra dæmonem. 4. pro obtinenda à Deo benedictione in operibus suis per meritâ Christi. 5. etiam in benedictionibus Sacris eadem de causa usus signi Crucis erat. Postquam autem anno Domini 325: imperij Constantini 16. Helena Constantini Mater divinis monita visionibus Beatissimæ Crucis Lignum, in quo mundi salus pependit, apud Ierosolymam reperit, tantâ in veneratione Lignum habitum fuit, ut teste S. Chrysostomo Hom. quod Christus sit Deus, qui parum ex illo habere poterant, auro includerent, & cervicibus imponerent, nempe veluti rem summâ admiratione & veneratione dignam. Nam ut Damasc. L. 4. orthod. fid. c. 12. scribit, *hoc ingentis pretij Lignum ac venerandum, in quo Christus se ipsum sacrificij causâ pro nobis obtulit, ut ex Sancto Corporis & sanguinis contactu sanctificatum, optimo jure adorari debet.* Similia habent alij Patres Græci & Latini copiose adducti apud Verweis in Specul. Ecclesiæ fol. 288. qui omnes prædictis Crucis Christi inimicis adversantur, & diabolicum ipsorum errorem detestantur. Pro solutione cavillorum potius, quam argumentorum.

XI. Advertendum. Crucis considerationem posse esse triplicem; vel ut ipsa Crux, in qua Christus pependit, spectetur: vel ut imago prædictam Crucem in ligno aut lapide repræsentans attendatur: vel ut pro signo Crucis manu in aère aut fronte formato sumatur. Porro ipsa Sancta Crux considerari potest vel quatenus attingit Christum, & ejus sanguine perfusa est, quo modo inter factas reliquias præcipua reputatur: vel quatenus est imago Christi Domini Crucifixi, seu prout repræsentat Christum Dominum per modum Crucis in ipsa extensum; quo modo dicitur Imago Christi. Rursum spectari eadem Crux potest. 1. ut in opprobrium præparata fuit à Judæis juxta illud Sapient. 2. v. 26. *morte turpissimâ condemnatus cum.* Et sic utique non est honoranda. 2. ut ex Dei electione & intentione fuit instrumentum redemptionis humanæ, per quod nos Christus liberaret, & in quo veluti Altari de hostibus, diabolo, & peccatis triumpharet Sanctissimo suo Corpore illud tangens, & Sanguine perfundens; quo modo tam ipsam Crucem, quam omnes ejus particulas, tanquam Sacratissimas Christi reliquias veneramus, & in illa gloriamur cum Apostolo ad

Calat. 6. v. 14. *mibi autem abesse gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi.* Nunc.

XII. Respond. ad 1. Concedendo, attulisse Crucem Christo dolorem, sed non tantum, verum & gloriam, atque exaltationem juxta illud ad Philipp. 2. v. 8. *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod (non consecutivè, ut hæretici volunt, sed causaliter ut Patres exponunt) & Deus exaltavit illum &c.* nempe Cruci veluti curru triumphali dæmonem affigendo, ut ex Origine bene notat Cornelius à Lapide in cit. loc. Ad 2. verum esse, si patet culpa sua & invitus fuerit suspensus: at si innocens, & post suspensionem miraculorum gloriâ fulgeat in testimonium innocentiae; cur lignum illud patrem repræsentans à pio filio honorari nequeat? Sic ergo hic sentiendum, cum præfertim Christus omne maledictum à cruce abstulerit, & omnem ei gloriam super omnia ligna in orbe contulerit. Unde etiam Constantinus post repertam miraculose Crucem ab Helena Matre suâ, legem sancivit, *ne Crux cuiquam deinceps ad supplicium adhiberetur;* à quo res, quæ ante hominibus probro ac ludibrio fuerat, venerationi ac gloriæ esse cepit. Ad 3. Hostes gaudere de Cruce & Passione Christi ob cruciatu & ignominiam eidem illatam: Amicos verò gaudere ob honorem & gloriam, quæ inde copiosissimè ad Christum promanavit: item ob ingentia commoda, quibus Christi Crux totam Universitatem cummulavit. Nam, ut pulchre Leo Papa de Passione ait: *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam cæcibus dantur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

XIII. Ad 4. Omnes cruce esse imagines primæve illius Crucis, & Christi in ea extensæ; præsepia verò, Sepulchra, columnas, clavos &c. non esse imagines præsepis, Sepulchri &c. Christi, Rationem dat S. August. L. 83. Quæstionum Q. 73. quia ad imaginem non sufficit similitudo naturæ vel artis, sed insuper necessum est, ut imitatione quâdam unum ex altero repræsentationis causâ exprimat. Hoc autem fit in crucebus, secus in præsepibus, sepulchris &c. quippe Christiani universim nec præsepia, nec sepulchra feruntur, ut per hæc præcisè repræsentent præsepia & sepulchrum Christi; cum tamen apud eosdem cruce non habeant alium usum præter prædictam repræsentationem Crucis primæve & extensæ in ea Christi Salvatoris. Ad id quod adjectum fuit de asino respondet D. Athanas. Lib. quæst. ad Antioch. q. 15. hæc verbis: *Non per asinum Christus diabolum & peccatum devicit, neq. in ea salutem operatus est, sed in Cruce; unde asinum quidem si viderim demones, non horrent, neque metuant: videntes verò Crucem terrentur, fugiunt, & evanescent.* Ecce responsum Sanctissimi & antiquissimi Patris ad calumniam nostrorum Sectariorum; quos certe minus honoraveris, quam ipsum Asinum Christi. Ad 5. distinguendo; quam neque naturaliter neque supernaturaliter habent, conceditur: secus negatur; quamvis autem Crux ex se non habeat virtutem operandi mirabilia, habet tamen eandem ordinationem Christi, idque tum merito operantis eo modo, quo habet oratio; siquidem signum Crucis est quædam invocatio meritum Christi, tum ex opere operato, cum etiam Judæi & Pagani more Christianorum signo se Crucis munien-



inuenientes demones fugarint, teste Gregorio Nanzano orat. 1. in Julian. Quia verò non habet effectum infallibilem, nec confert per se gratiam Sanctificantem, idcirco Crux non erit Sacramentum.

XIV. Error secundus. Corpora Sanctorum sepelienda; & in Sepulchris relinquenda esse; atque hunc unicuique eorum convenire. Ita passim Calvinista & Lutherani, ac nominatim ex his Meno Hanneken in suo Jrenico fol. 545. Probant i. ex S. Script. Genes. 3. v. 19. *pulvis es & in pulverem revertens*. Ergo corpora mortuorum debent in terram defodi; donec putrescant, idque ex voluntate Dei, quae indicatur Eccles. 38. v. 16. *Filij in mortuum produclacrymas, & secundum iudicium (id est decenti more) contege corpus illius*. Christus etiam Joan. 5. v. 28. dicit. *omnes, qui in monumento sunt, audient vocem Filij Dei*. 2. ab exemplis Antiquorum veteris Testamenti. Sic Abraham Gen. 23. v. 19. *sepelivi Saram uxorem suam*. Sic Isaac & Imael Abrahamum c. 25 v. 9. sic Jacob & Esau Isaacum ibidem c. 35. v. 29. sic Moyses Exod. 13. v. 19. *tulit secum ossa Joseph ex Aegypto iterumque hac terra mandarunt Filij Israel in Sichem Josue 34. v. 32*. Atque sic de alijs. 3. Ab exemplis primorum Christianorum, qui praecipuis Sanctis Joanni Baptistae, & Stephano nullum alium honorem exhibuerunt: quam Sepulturam Matth. 14. v. 10. Actor. 8. v. 2. 4. ex Concilijs & Patribus. in Concilio Moguntino sub Carolo M. anno 813. can. 51. prohibetur translatio corporum de loco in locum. S. Cyrillus Alexandrinus L. 10. contra Julian. ait. *Sanctorum reliquias non circumferendas, sed in sinu Matris & profundis terra collocandas*. S. Hieronymus licet contra Vigilantium Barcinonensis Ecclesiae presbyterum acriter scribat, fatetur tamen, reliquias Martyrum non esse adorandas.

XV. Error iste multa absurda complectitur. 1. Sanctum Ambrosium male fecisse, quod licet divino monitu edoctus fuisset, ubinam sepulta jacerent corpora Sanctorum Gervasij & Protasij, confestim ea effodi iusserit, & in publico templo collocarit, ut refertur in vita illius. 2. Sanctorum corporibus non plus honoris exhibendum, quam inferiorum; siquidem & hi sepeliuntur, & saepe Splendidius, quam Sancti 3. Corpora furum in Luthernismo & Calvinismo defunctorum non debere suspensa relinqui; sed speliiri cum sint Sancti; quippe in vera fide mortui, in qua sola illi omnem iustitiam & Sanctitatem ponunt. 4. non licere mortuorum crania & ossa in caemeterijs spectanda exponere ad reficendam mortis memoriam. 5. pessime facere ipsosmet haereticos contra suammet doctrinam, quod reliquias sanctorum, si quas in locis Catholicis vel ubicunque reperiunt, non pie sepeliant, sed contumelia affectas per terram taptent, pedibus conculcent, comburant; in aquas & sordidos locos abijciant &c. uti Calvini soboles praesertim in Gallia egregie praestitit, & quid amplius Gentiles Turcae Judaei facerent?

XVI Respond. Ad 1. ex Script Gen. 3. Deus indicare solum vult, hominem, sicut ex terra desumptus est, ita iterum in terram convertendum; sicut quaelibet res in illas causas resolvitur, ex quibus facta fuit. Si etiam praedicta verba ad sepulturam accommodare velimus, accipienda sunt secundum ordinarium cursum Naturae, nisi extra ordinem unguentis balsa-

mi, vel extraordinario Dei miraculo a putredine serventur. Ecclesiasticus c. 38. loquitur de primo tempore sepulturae, etenim corpora putrescentia, sanie ac tabe fluentia, vermibus sciantia, tetrum fatorem exhalantia oculis exponere, injuria esset Sanctis, non decus: at verò exponere exesa & ab omni foeditate purgata, ut oculos hominum non amplius offendant, sed potius delectent, si praesertim accedant varia ornamenta, decorum ac honorificum est Sanctis, & Spectatoribus utile ad reficendam Sanctorum memoriam, & imitandi studium. Ex Joan. 5. prorsus nihil sequitur contra nos; quia alius verborum sensus non est; quam mortuos ad vocem tubae surrecturos, ubi ubi prius illorum ossa exiterint. Ad 2. ab exemplis Antiquorum veteris Testam. hinc nihil etiam evinci; quia alia fuit ratio apud Sanctos veteris Testamenti, quam novi; etenim antiqui Patres in limbo remanserunt, & idcirco etiam non honorati aut invocati fuerunt, sicuti Sancti nostri Testamenti Novi, qui jam cum Christo in Caelo aeterna beatitudine fruuntur.

XVII. Ad 3. argumentum ab exemplo primorum Christianorum deductum. istud nobis non adversari; quia & nos hoc ipsum solemus, & Catholico ritu corpora Sanctorum terrae mandamus; sed post multos annos comprobata eorum Sanctitate per iudicium Ecclesiasticum refodimus & publico honori exponimus, sicuti etiam olim Christianis usitatum fuit, & ad id faciendum ipsimet Sancti mirabilibus modis incitarunt odore, splendore, voce, somnijs, miraculis, quod multis historijs fide dignissimis monstrari posset. Videri potest apud Abrahamum Bzovium in Annales Ecclesiasticos Anno 1283. mirabilis relatio de Reliquijs S. Mariae Magdalenae. Ad 4. ex Concilijs & Patribus. Concilium Moguntinum tempore Caroli M. c. 51. prohibens, ne quis corpora Sanctorum de loco in locum transferat, non esse contra nos, cum ipsimet asseramus, nulli privata auctoritate id licere, ubi autem verbulo prohibet, ne illud cum consensu legitimo Magistratus Ecclesiastici fiat? S. Cyrillus male citatur, solum enim dicit, reliquias occultandas esse; idque ex hac occasione. Objecerat Julianus Apostata (quod ipsum hodie faciunt Sectarij) prostrationem ante sepulchra Sanctorum, quae tamen, teste Christo Matth. 23. v. 27. plena sunt immunditia, cui responderet S. Pater; hanc immunditiam corporalem, quae forsitan in sepulchris Sanctorum lateat, neque animo, neque corpori nocere, cum sit occulta. Si ergo & cineres sine omni spurcicia proponuntur, non refragabitur Cyrillus. S. Hieronymus recte fatetur, Martyrum reliquias non esse adorandas, sed neque nos Sanctorum reliquias, ut Deos adotamus, sed tanquam Amicos Dei & Patronos nostros, per quos omnis honor in Deum dirigitur; ut responderet S. Hieronymus Vigilantio, cujus spiritus hodie cernitur in Sectarijs, qui ipsidem cum illo argumentis contra nos & reliquiarum cultum utuntur.

XVIII. Error tertius. Cultum, quem Catholici Reliquijs impendunt, esse superstitiosum & idolatricum. Ita una voce omnes hodie Sectarij post veteres Haereticos, quorum omnium communis haec est ratio. Quia eodem modo Deum & Sanctos, eorumque Reliquias veneramus. Nempe 1. Templis & Altaribus. 2. Votis. 3. Festis. 4. Juramentis. 5. Thurificatione. 6. Prostratione. 7. Cereis accensis.



8. Peregrinationibus. 9. Oratione Dominica. 10. Attactu Reliquiarum &c. Pari fiducia confugimus in omnibus necessitatibus ad Hos, sicuti ad Deum. Confirmant 10. ex Deuter. 34. v. 6. ubi dicitur, *Deum sepelivisse corpus Moysis, & non cognovisse hominem sepulchrum ejus*; ne, inquit Sectarij, coli possit; etenim ex hac causa, cum diabolus ad fuscitandam idololatriam illud hominibus revelare vellet, S. Michaelem Ecclesiæ tutorem ei obtulisse, ut in epist. Cathol. faceret S. Judas. 2. ex Matth. 23. v. 29. ubi Christus reprehendens Phariseos ait: *ve vobis, qui edificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta Justorum.* 3. Ad Coloss. 3. v. 22. damnatur omnis cultus arbitrarius à Christo non institutus, qualis est Reliquiarum, ideoque superstitiosus & idololatrius.

XIX. Errori huic præter SS. Litteras Concilia & Patres etiam Ethnici ex naturali lumine adversantur. Franciscus Petracha de vulneribus c. 77. scribit de Cæso Scæva miræ fortitudinis viro, sed nullius justitiæ, quod istum mille laterum perfossimque vulneribus ipsi quoque hostes fuerint venerati: & propter unius virtutis admirationem vulnera ejus deosculantes armorum fragmina & Sagittas recenti cadavere eductas Deorum templis ceu Sacrum aliquid affixerint. Quid de Sanctissimorum Martyrum vulneribus & corporibus tanta tormenta tamque acerbam mortem passis ob amorem DEI, sacræ fidei constantiam, & vitæ mortisque Sanctitatem sentiendum? Si rectè pieque jam ante mille trecentos annos Constantinus Imperator in Concilio Nicæno Episcoporum oculos in persecutione effoscos osculabatur pro certo persuasus, ut ait Theodoretus L. 1. c. 11. osculo benedictionem se inde hausturum. Quomodo jam censi potest, Sacris Reliquiis oscula figere, Templis, Altaribus, Festis, Prostratione &c. venerationem honorèque deferre, esse superstitiosam, impietatem, & idololatriam? aut dicant Adversarij, quæ mens Constantini Imperatoris fuerit, eum vestigia Sacra Christi Hierosolymis adoraret, ut scribit Eusebius de vita Constant. L. 3. his verbis: *Postquam autem salutaria vestigia competenter juxta propheticum spiritum adoravit, nempe: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus, confestim pietatis sue fructum etiam posteris reliquit?* non mihi persuadeo, Constantinum Vestigia secundum se præcisè adorasse, aut in hisce solis efficaciam agnovisse, atque idcirco fiduciam in illa posuisse, aliquid inde auxilium obtinendi; sed totam spem in Christo collocasse, atque Istum in relictis suis Vestigijs adorasse. Ita nos Catholicis, si Sanctorum Corpora & Ossa veneramus, recordamur ipsorum Sanctorum, & hos invocamus, ut apud Deum & Christum Patronos nostros agant, pro nobis intercedant, impetrantque nobis salutem Animæ & Corporis. Ex quo liquidò apparet, spem & fiduciam nostram tendere quidem ad Sanctos tanquam Patronos & Intercessores; in his autem non consistere, sed ultimò in Deo & Christo JESU omnium bonorum fonte poni, figi, & collocari. O hæretici, quam bene vobis dicimus, quod Christus Phærisæis Joan. 17. v. 24. *Nolite judicare secundum faciem: sed justum judicium judicate*; justum autem judicium requirit, ut in actionibus humanis non solum externa signa, sed etiam interni affectus attendantur. Nunc ordine ad singula, quæ in probationem adducta sunt.

XX. Respond. 1. ad *Templa & Altaria*, contra quæ Amelius Tom. 2. à fol. 20. multa adducit, quæ cavillamenta quàm argumenta rectius dixeris. *Templa* statim apud Christianos fuisse, indubitatum est, & nullus ferè veterum Patrum legitur, qui eorum mentionem non faciat, qui videri possunt in Papatu Cathol. Tom. 2. à fol. 461. Imò ipse Apostolus hoc affirmat 1. ad Corinth. 11. v. 18. *ajens: Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio esse scissuras.* Et hæc templa à privatis ædibus distincta, patet ex sequentibus: *nunquid domos non habetis? si quis esurit, domi manducet &c.* Horum templorum varij fuerunt fines. Primarius fuit Sacrificiis Deo proprium. Nam si in Veteri Legge præcipit Deus pro Sacrificio illo typico construere Tabernaculum, quod teste Josepho erat templum portatile, idque sumptuosissimum Exod. 25. vultque sub pæna mortis sacrificari extra illud Levit. 17. v. 4. ex quo principalis ejus finis conjicitur; quanto æquius est, ut verum & unicum Sacrificium Agni Immaculati Christus offeratur in ejusmodi Tabernaculo, quod ad hoc præcipue & splendide extructum sit. Atque hoc sine non licet Sanctis templa construere; quia non licet illis sacrificare, cum Sacrificium sit proleptatio supremi Dominij in omnes creaturas, ut dicitur de Sacrificio Missæ. Quando igitur dicitur Missa de aliquo Sancto, non est sensus, quod illi sacrificetur, sed quod in accidentalibus precibus ac lectionibus peculiaris aliqua illius mentio fiat. Cæteri fines templorum v. g. ad Sacramenta administranda, ad Verbum DEI prædicandum, ad Eucharistiam asservendam, ad orandum in ijs &c. secundarij sunt. Quocirca sicuti non est idololatria, populo edificare Ecclesiam, ut ibi conveniat, Sacramenta percipiat, Deum oret &c. Ita non est idololatria, Sanctis erigere templa in hunc finem, ut illorum corpora decenter ibi asserventur, & ad congruum honorem populo proponantur. Confirmatur Catholica hæc veritas, tum ex 1. Regum 8. & 2. Paralip. 8. ubi Salomon affirmat, templum factum esse, *ut sit locus orationis.* Et 3. Reg. 9. *Deus apparet Salomoni pollicens ita futurum, ut ipse peterat. Luc. 2. Anna non recedebat à templo obsecrationibus serviens.* Ergo non est superstitio, aut idololatria templa edificare, in ijs orare &c.

XXI. Objicit Amelius triplicem Scripturæ locum. Primum ex Matth. 6. v. 6. *tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & ora Patrem in abscondito.* Secundum. Joan. 4. v. 2. *veni hora, quando neg, in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis.* Tertium ex 1. ad Timoth. 3. v. 8. *volò viros orare in omni loco.* Respond. ad 1. non loqui Christum absolute damnando publicam in Ecclesia orationem, sed comparative, quasi diceret, potius. quàm videri velis orare & gloriam inde captare, fugias testes, devites turbam, quaras secessum. Ad 2. sensum esse, adesse tempus, nempe Legis Evangelicæ, quo uterque cultus tant Samaritanorum in monte Garizim, quàm Judæorum in Jerusalem tolleretur, & novus multoque perfectior succederet, qui erit in spiritu, & veritate, hoc est, non consistet præcipue in externis & umbraticis ceremonijs, sed in spirituali cognitione & amore Dei, ita ut hunc non modo, uti servi dominum, sed etiam uti filij Parentem colant. Ad 3. sensum esse, fideles Christi ad publicam orationem convenire debere non

in una



in una tantum urbe ( ut Judæi Hierosolymis ) sed in omni loco precibus publicis dicato, id est, in Ecclesijs. Videri potest Tirinus in Triplici hoc loco, ubi etiam Patres pro hac interpretatione affert. Quæ porro calumniatur Amfius de templorum consecratione, atque in his aquæ, olei, aliarumque rerum benedictione, infra rejiciuntur, ubi cæremonias Ecclesiæ stabilimus, Nunc scire sufficit, eas solum cæremonias Judaicas per Christum fuisse abrogatas, & improbatas, quæ institutione fuerunt ad figurandum aliquid in novo testamento, ut Circumcisio, Agnus paschalis &c. secus est de cæremoniis, quæ fundantur in ratione naturali, adeoque non ad Legem Cæremonialem, sed ad Moralem pertinent.

XXII. Altare sive Ara proprie sumpta est res illa, supra quam sacrificatur, quæ inde Latinis dicitur Sacrificatorium, Græcis *θυσιαστήριον*, ut videre est in græco textu ad Hebr. 13. v. 10. improprie & vulgariter accipitur Altare pro tabulis illis pictis & sculptis super aras erectis, quæ sunt mera ornamenta Altarium, & non nisi per abusum altaria vocantur. *Priori modo* sumpta Altaria soli Deo ad Sacrificium dedicantur, & negamus, ita unquam Sanctis erigi Altaria. Et de hoc loquitur D. Paulus ad Hebr. loco cit: *habemus Altare de quo edere non habent potestatem &c.* Item S. Andreas Apostolus *Ægeæ* Prefecto dicens: *ego omnipotentii Deo immolo quotidie non taurorum carnes, sed immaculatum Agnum in Altari.* ut referunt Presbyteri in Achaia. D. Agustinus serm. 11. de Sanctis testatur, antiqui esse moris, reliquias Sacras in ipsis altaribus condere, & Super eas celebrare missas; unde etiam putat, S. Joannem Apocal. 6. v. 9. *ideo vidisse animas occisus sub altari.* S. Felix Papa & M. ante annos 1300. epist. 2. scribit: *statuimus, vobisq; & omnibus Ecclesijs tenendum, ut super memorias Martyrum missæ celebrantur.* Atque hinc esse videtur, quod neque hodie supra ullum altare celebratur, nisi reliquijs impositis. Videatur Bellarm. L. 3. c. 4. ubi ait, nullum esse ex veteribus Patribus, qui non meminerit Altaris Ecclesiæ. *Posteriori modo* accepta Altaria Sanctis ædificantur, quæ supra priores aras ornatus causâ superstruuntur, ac non nisi per abusum à vulgo altaria dicuntur. Apud hæreticos nulla altaria reperiuntur, cum enim nullos legitimos Episcopos & Sacerdotes habeant, Sacramento quoque adeoque verò Altari, & Templo carent.

XXIII. Respondetur 2. *ad Vota.* Si hæc proprie sumantur, significant promissionem Deo factam, & sic non quadrant Sanctis. Si autem latius accipiantur, indicant promissionem etiam Sanctis factam. Diversitas inter has promissiones est, quod Deo aliquid promittatur in signum gratitudinis erga Principium primum omnium bonorum, & in recognitionem beneficij, tanquam à primo Autore accepti, ac proinde illa promissio est Actus Patriæ. At Sanctis promittitur aliquid in signum gratitudinis erga Patronos, & Intercessores, per quos beneficia à Deo accepimus. Hæc igitur promissio non est actus Patriæ sed Dulciæ. Unde nulla per illam committitur idololatria, ut somniant Amefius fol. 282. & Gerhard. L. 2. parte 2. fol. 736. Molinæus fol. 57. & alij Sæctarij. Olim Sanctis fieri solitas esse promissiones, constat ex Eusebio

Cæsariensi, qui ante annos circiter 1300. de præparatione Evangelica L. 13. c. 7. scribit: *nobis in more positum est, ad eorum oculos accedere, & vota apud eos facere.* Similia habent Eucherius Hom. de S. Genesio. Theodoretus L. 8. contra Græcos de Martyrib. & alij. Quare quando Nos Catholicij aliquid vovemus B. Virgini, Sanctis Petro & Paulo &c. sensus est, quod Deo hanc rem voveamus ad honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli &c. idemque est, ac quando aliquis mille aureos voveret hospitali; etenim votum, quod fit Deo, cedit ad utilitatem hospitalis; sic inquam, non raro fiunt à nobis vota Deo ad honorem Sanctorum suorum. Atque ex his per se videntur, quæ Adversarij in oppositum afferunt. Cæterum promissio hominibus adhuc in terra degentibus facta, etiam si iusti sint, non dici potest votum. Tum quia Sancti in cælo jam sunt re ipsâ Beati, & gloriosi, filijque Dei, ac veluti Dij quidam per participationem: At verò homines etiam iusti nobiscum viventes magis in spe, quam in re beati ac gloriosi sunt, ac spe suâ adhuc excidere possunt. Tum quia promissio Sanctis cum Christo regnantibus facta similior est promissioni, quæ fit Deo, quam quæ fit mortali; siquidem illis sola gloria & honor, nulla verò utilitas inde provenire potest, sicuti hominibus in mortali adhuc corpore existentibus.

XXIV. Respondetur 3. *ad Fæsta.* Sanctorum Fæsta nihil aliud sunt, quam memoria eorundem, quâ partim ipsos ob præclarum eorum agnomen honoramus, partim nobis ad imitandum, vel saltem excitandum proponimus, partim Victoribus de parta sibi gloria congaudemus, partim eos, ut pro nobis ad Deum intercedant, commonefacimus: ante omnia verò, ut Deum pro eorum exaltatione & glorificatione laudemus. Agere igitur Fæstum, & in honorem alicujus Sancti vacare ab opere, non est cultus divinus; cum etiam Regibus in Die coronationis præstari solet: atque olim Sanctis præstitum fuisse, constat ex Clemente Constit. Apost. L. 8. c. 33. quibus diebus feriandum sit famulis. *In diebus Apostolorum vacant &c. In die Stephani Protomartyris item vacant.* Ex S. Cyprian. epist. 34. de Celerino & cæteris Martyribus: *Sacrificia, ut meminisset pro ijs semper offerimus, quoties Martyrum passionis, & dies anniversariâ commemoratione celebramus &c.* Ex epist. Scmyrnenfis Ecclesiæ ad Ponti Ecclesias de S. Pollicarpo discipulo S. Joannis: *Dominus præstabit, ut celebrem ejus Martyrij Diem instar Natalis festi cum exultationis gaudio, quantum fieri potest maximo, recolat.* Ille autem honor est Religionis (ut est religio Nomen generale) solius tamen dulciæ, non Patriæ, ideoque prorsus alienus ab idololatria. Quare sicut Deus Exod. 20. præcepit Sabbatum: *memorato ut diem Sabbati sanctifices,* ita Ecclesia instituit potest Fæsta Sanctorum, ad quorum celebrationem Fideles sub gravi peccato obligentur. Quid enim huic præcepto obstat?

XXV. Dicit Amefius fol. 285. Qui non possunt facere diem festum non possunt auctoritate suâ observationem talis diei præcipere. Sed Ecclesia non potest facere diem eo modo festum; cum non habeat potestatem in dies, ut eorum naturam commutet: non in Sanctitatem, ut affigat illam, cui gloriæ velit: non in animas hominum, ut imponat illis leges. Ergo &c. Resp. hoc argumentum



tum triplicem & gravem ignorantiam involvere. 1. est, quod facere diem festum sit aliquis effectus physicus intrinsecus in ipso die, cum dies festi ac sacratiores fiant à sola deputacione extrinseca, significacione mysticâ, & ad cultum divinum obligatione, sicuti Exod. cit. dixit Deus, *memento ut diem Sabbati sanctifices.* 2. quod Sanctitas & Consecratio nulla detur, nisi quæ physicè gratiam intrinsecam subjecto conferat contra frequentissima testimonia Sacræ Scripturæ, quæ loca, vasa, tempora &c. divino cultui destinata extrinsecâ quadam & analogicâ sanctitate aspersa & consecrata passim docet. 3. nullâ auctoritate, nisi divina immediatè præcipi illum Festum posse, cum sufficiat mediâtè, quæ penes Ecclesiam cernitur. Et licet Sectarij itentidem jactent, nullum nisi in Verbo Dei dari præceptum expressum obligans in conscientia, ijdem tamen rumpantur licet, ostendere nequeunt, ubinam in univèrsis Sacris Biblijs contineatur præceptum colendi diem dominicum, quem tamen ipsimet ex præcepto colendum fatentur. Quare aperte convincuntur, vel ad negandum, extare ullum præceptum colendi diem dominicum, vel ad concedendum, posse id ab Ecclesia præcipi.

XXVI. Respondetur 4. *Ad Juramentum.* Jurare per Sanctos non est idololatricum, uti sibi Amelius & Gerhardus locis cit. imaginantur. Nam teste Christo Matth. 5. v. 34. per alias etiam creaturas juratur, ut per cælum, terram, Sacra Evangelia &c. non tamen ipsæ creaturæ per se spectantur, sed semper cum respectu ad Deum Auctorem suum, ut bene cum alijs Theologis Tanner Tom. 3. D. 5. Q. 5. n. 5. Si ergo juro per Evangelia, aut S. Petrum, sensus est, Deum invoco testem, qui Evangelijs divinam veritatem, qui Sancto Petro sanctitatem & gloriam contulit; quod etiam indicat Christus loco cit. jurari scilicet per terram, quod sit scabellum pedum ejus, vel per Cælum, quod sit thronus ejus, vel per Jerusalem, quod sit ejus regia. Affert in rem præsentem Surius in vitis Sanctorum 15. Novembris pulcherrimam & fide dignissimam historiam, quæ fusè ab ipso narrata breviter sic se habet. Erat Edessæ vidua quædam Sophia nomine, & huic filia Euphemia, cujus pulchritudine captus Gothus miles prædianarius in uxorem sibi eam dari adeo desiderabat, ut tandem consentiret Sophia, si coram SS. Martyribus Samona Guria & Abibo (qui sub Diocletiano Imperatore pro fide Christi mortui magna ibi populi devotione colebantur) jurare vellent, eo loco habiturum se novam nuptiam, quo focij tori fides juberet. Jurat Gothus, accipit in uxorem Ephemiam, & in Italiam secum abducit, ubi prima ipsius uxor pessimè eam tractat, & filium ex eadem natum veneno tollit, cujus reliquias Euphemia ab ore filiolæ legens novercæ infantis præbet enecatque, ipsa utriusque parentatura tumultu hujus à cognatis includitur, sed adfuerunt tandem fidei Jussores Gurias, Samonas, & Abibus, & Euphemiam somni beneficio transfectam patriæ & Sophiæ matri reddiderunt. Posthæc Gothus iterum Edessam venit miraculi inscius, atque à Sophia & Euphemia violati juramenti coram judice convictus capite plectitur, & in ignem abijcitur. Ecce ante 1000. & plures jam annos consuetum fuit Christianis jurare Sanctis, & juramentum coram ipsis exigere, atque hoc Deo non displicuisse, luculentum miraculum attestatur.

XXVII. Respondet. 5. *Ad suffitum, seu Thurificationem.* Videtur ista Dei propria; quia 4. Reg. 18. v. 4. de Ezechia dicitur: *Confregit serpentem quem fecerat Moyses, siquidem usque ad illud tempus Filij Israël adolebant incensum, id est, pro Deo colebant.* Verùm in novo testamento mutata est significatio Thurificationis, ut etiam Sanctis conveniret; imò cunctis Fidelibus jam impendi solet in divinis officijs, uti videmus, ad significandum bonum odorem gratiæ, & virtutum, quo fragrare debent, ut indicat D. Thom. 3. P. Q. 83. a. 5. ad 2. Prædictus Auctor in vitis Sanctorum 22. Januarij recenset de Anastasio Martyre, cum collum pedemque communibus cum nescio quo scelerato vinculis ligatus dies noctisque intercanus Sacros traduceret, Cœlites ad ipsum advocasse, & unum ex illis majestate Pontificali, & insolito splendore eminentiorem Mariyrem odoribus veneratum fuisse. Ergo thurificatio Sanctis impensa Deo in novo Testamento non displicet.

XXVIII. Respondetur 6. *Ad Prostrationem.* Ex communi Theologorum apud Tanner. D. 5. cit. q. 2. n. 18. adorationem nullo certo motu ac gestu corporis circumscribi, sed plerisque omnes nominatim prostrationem in terram esse communem Deo ac hominibus, atque æquè his ac illis tribui solere. Nam Gen. 43. v. 26. & c. 50. v. 18. Fratres Josephi adoraverunt illum proni in terram. Num. 22. v. 31. *Balaam adoravit Angelum pronus in terram.* Ruth. 2. v. 10. *cadens in faciem suam & adorans super terram dixit ad Booz &c.* Nulla igitur hinc convincitur idololatria.

XXVIII. Respondetur 7. *Ad Cereos ardentis.* Illi nihil significant aliud, quam eorum, quibus accenduntur, vitam & Sanctitatis splendorem, ac nostram exultationem; ideoque Sanctis bene accendi possunt sine ulla idololatria. Atque olim accensos fuisse, testatur S. Paulinus ante Annos 1100. de cultu S. Felicis Presbyteri & M. Nolani, ita canens:

*Clara coronantur densis altaria lychnis  
Lamina ceratis adolentur ora papyris  
Nocte dieque micant.*

Theodoretus de translatione Reliquiarum S. Chrysofomi scribit: *Tum rursus fidelis populus in navigijs pro terra usus pelago fauces Bospori juxta Propontidem lampadibus contexit.* Tomo 1. Bavaricæ Sanctæ. Et Tomo 1. Annalium Boicorum refertur de S. Emmerano M. lampadum ignes, qui in solenni pompa, quâ Ratisbonam Sacra ejus ossa advecta sunt, incensi fuerunt, inter omnes ventos, pluviasque pertinaciter emicuisse; nec hoc mirum, cum DEUS ipse vivorum Sanctitatem luminis splendore non rarè prodidit, ut in Moysè, & Ignatio Societatis Jesu Fundatore, cujus vultum cælesti luce radiantem, S. Philippus Nerius alijsque conspexere &c.

XXX. Respond. 8. *Ad Peregrinationes.* Approbant has Sacra Universalia Ecclesiæ Concilia cœpia ac sancta opera; sicuti Concilium Cabilionense, quod ante 800. circiter annos Caroli M. tempore celebratum peregrinantium Romam verus devotionem, seu ad alia sacra loca pœnitentiæ agendæ causâ susceptum iter à quolibet laudibus extollendum docet, uti & à Sancto Generali Concilio Tridentino idem Sess. 25. declaratum ac sancitum fuit. Non dubitum, peregrina-



grinationes piè, rite, ac devotè institutas cedere in gloriam Dei, & Sanctorum honorem non mediocrem; est enim signum manifestum, Deum & Sanctos à nobis magni fieri, cum laborem & pericula itinerum sponte suscipimus, ut Sanctorum Reliquias revifamur: idque opus pœnitentiæ, & Satisfactionis. Quare nihil in peregrinationibus apparet idololatriæ, cum ipsi Adversarij negare non possint, peregrinationem esse ex natura rei actionem indifferentem, & saltem in aliquibus eventibus laudabilem; siquidem ipse Deus Deut. 16. v. 16. ordinavit, ut omnes filij Israël ter in anno ad Tabernaculum vel Templum Domini peregrinarentur. Deinde negare etiam nequeunt, Patribus quarti & quinti sæculi valde probatas & usitatas fuisse peregrinationes ejusmodi ad Martyrum Memorias, aliæque loca Sancta. Speciatim Ecclesiasticæ historiae docent, S. S. Apostolorum Petri & Pauli sacra pignora honorandi causâ Christianos Romam fuisse peregrinos. Nam Palladius inter cæteras Philoroni Presbyteri laudes hoc etiam posuit, quod per eum promissum Hierosolymam Romamque versus ad Sanctorum Apostolorum reliquias completum redditumque sit votum.

XXXI. Obijciunt hæretici 1. Peregrinationes esse cultum voluntarium. 2. Christum prohibuisse peregrinationes Matth. 28. v. 23. & v. 26. illis verbis: *si quis vobis dixerit, hic est Christus, aut illic, ecce in deserto est, nolite exire.* 3. Concilium Cabilonense adversari etiam peregrinationibus. 4. Hieronymum, quamvis ipse in terram sanctam se contulerit, scribere tamen vehementer contra peregrinationes. Respondeo. Objectiones istæ tales sunt, quas Adversarij merito erubescere possint: quibus autem alius jure inde conijcere valeat, quam nihil habeant Sectarij, quod peregrinationibus opponant. Ad 1. igitur negamus, Peregrinationes esse cultum voluntarium, si accipiatur in eo sensu, quo Novatores communiter utuntur in illo decantatissimo suo axiomate: *Omnis cultus voluntarius, id est, non præceptus displicet DEO;* quippe in proposito voluntas opponitur omnino rectæ rationi, quæ semper incidit cum voluntate Dei sive præcipiente, sive consulente, sive approbante. Cum igitur ex Sac. Scriptura constet, Deum apud Israëlitas peregrinationes ordinasse, & re ipsâ apud Sanctos homines in novo Testamento approbasse, apertè falsum est, peregrinationes esse in hoc sensu actum voluntarium, Deoque displicentem. Ad 2. Christum apud Matthæum loqui de signis, quæ ante extremum Judicij diem præcedent, inter quæ etiam Anti-Christus cum suis prophetis & asseclis erit, cui ne Fideles adhæreant, admonet illos Christus, ut fidem non habeant illis dicentibus *hic est Christus, aut illic.* Ita locum istum interpretantur Hieronymus in c. 24. Matth. Chrysostr. Hom. 77. in Matth. Hilarius & alij. Videatur Cornelius à Lapide, & alij Interpretes. Ad 3. In Concilio Cabilonensi agi contra illos, qui existimabant, se Sanctorum locorum solâ visitatione à peccatis purgari. Dicimusne Nos Catholici aliquem à peccatis absolvi solâ visitatione Sanctorum locorum? Ad 4. S. Hieronymum apertè testari, se non loqui de Episcopis, de Presbyteris, de alijs Clericis: non carpit illorum peregrinationes multò minùs secularium hominum: solum ostendit, non place-re sibi ita circumvagari quosdam Monachos, qui

meliùs in suis cellis starent, quàm per orbem curiose circum cursarent; ideo asserit: *Monachos debere in suis monasterijs esse, sicuti pisces in aqua, facillè illos in via in aliquod sui Spiritus impedimentum incur-re, occasionem sapius Religiosis esse periculosiorem, quàm secularibus, locos, qui visitantur, esse quidem sanctos, non autem omnes in ijs commorantes, per quos transeun-dum; securissimam esse victoriam contra mundum & pec-catum, nullam querere occasionem sui perdendi.* Si Sanctus Hieronymus peregrinationes improbasset, a-libi quoque id manifestasset, quod tamen nulli-bi fecit. Videantur aliqua ipsius loca allegata in Papatu Catholico Tomo 2. fol. 477. Et in obitu Paulæ epist. 271. ubi ait: *Cujus enim gentis homines ad sancta loca non veniunt?* Similiter Gregor. Nyf-fenus, quem Magdenburgenfes centur. 4. c. 8. al-legant, nò qualibet peregrinationes vocat vanas, sed illas solum, quæ cum debita intentione & pie-tate non suscipiuntur, & peraguntur. Adhæc epist. illa non videtur esse hujus Patris, cum ne-que in Græcis, neque Latinis ejus operibus repe-riatur. Plura de Sacris peregrinationibus P. Ca-spar Loarde in Opusculo suo, & P. Ludovicus Richeomo in Apolog. sua Peregrin. atque alij.

XXXII. Respondeatur. 9. Ad Orationem Domini-cam. Cum alicui Sancto offertur Oratio Domi-nica, ut sit in corona B. V. non ad ipsum dirigitur, sed ad Deum: illi verò quasi libellus supplex Deo offerendus porrigitur. Sicuti Angeli nostras preces Deo offerunt Tob. 12. v. 12. Apoc. 8. v. 3. Non quod palam faciant DEO preces nostras, quem nihil latet, sed quod juncta sua deprecatione no-strum desiderium rursus proponant. Cæterum ip-simet Hæretici Orationem Dominicam ad pravam suam deprimunt sensum, corumpuntque cum hoc additamento: *Tuum est enim Regnum, tua Potentia, tuum Imperium in æternum;* quæ verba, ut in se sint bona, ad Sacra tamen Biblia non spectant, siquidem nunquam eorum mentionem faciunt antiquissimi P. P. Tertullianus & Cyprianus L. de Orat. Dominica. Item Hieronymus in c. 6. Matth. alijque, qui utique meliùs noverunt, quæ in Sa-cra Script. contineantur, quàm isti Navatores & heri nati scioi.

XXXIII. Respondeatur denique 10. Ad contactum Reliquiarum. Devotio Fidelium consueta tangendi Sacras Reliquias quasi aliquâ inde vim & Sanctita-tem haurirent, non est inanis superstitio, aut idolo-latria, sed Sacræ Scripturæ & Patrum nititur auctoritate. Levit. 6. v. 27. de Sacrificio dicitur: *quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur hoc est, Sanctum habebitur, ita ut vestis post talem tactum non potuerit amplius ad usum profanum converti, nisi prius lota, ut explicant Inter-pretet. Math. 23. v. 19. quid enim majus est donum, an altare quod sanctificat donum? Si ergo munera & res aliæ tactu Altaris vel Sacrificij Sanctifica-bantur, cur non etiam Rosaria tactu Reli-quiarum Sanctificentur? S. Basil. Hom. in Psal. 115. in priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazareis illud, non contaminabitur super ullo mortuo, & si quis tetigerit cadaver, immundus erit. Et hoc: *lavabit vesti-menta sua. Nunc è diverso Martyris ossa quisquis teti-gerit ob gratiam corpori insidentem, sit quadamtenus Sanctificationis particeps.* Supra autem jam dixi, hanc virtutem seu gratiam non esse potentiam, aut qualitatem (physicam), sed tantum mora-ter in eo positam, quod Deus intuitu Sancto-rum,*



rum, quorum Reliquiæ tactæ sunt, rebus eo tactu Sacris tanquam instrumentis ad mira paranda uti soleat.

XXXIV. Instat Hæretici apud Gerhardum fol. 662. si res quælibet tactu Reliquiarum vel viventium Sanctorum sanctificantur, & honore dignæ sunt, tunc sequitur etiam Labia Judæ, quibus Christum osculatus est, fuisse veneranda, item dorsum asini, cui insedit, & vermes ex Sanctorum Corporibus natos, &c. quæ cum absurda sint, & indecentia, non potest dici, ullam rem cuiuscunque Sancti tactu Sanctificari, aut quandam virtutem divinam assumere. Resp. non quaslibet res tactu sanctificari, sed quæ capaces sunt moralis dignitatis, & debitæ religionis ac fiduciæ applicantur ad Sanctorum Corpora & Reliquias, res verò malas ac fordidas, ut labia Judæ, & dorsum asini &c. nullo modo dignas: minus Sanctitatis cuiusvis capaces esse. Urget Amelius fol. 268. contactus ergo & ratio instrumenti ad passionem per se non inferunt adorationem v. g. in labijs Judæ, manu servi illius, qui Christo alapam infixit &c. Resp. negando illatum; quia tactus per se sanctificat quamlibet rem moralis dignitatis capax; labia autem Judæ, & manus servi Christum percutientis sunt hominum nequam, qui cum ex liberâ voluntate scelestissimas illas actiones execuerint, non fuerunt sanctificata propter tactum Christi. At verò instrumenta passionis inanimata sunt quidem liberæ volitionis inexpertia, attamen innoxia, ideoque honoris aliquo modo capacia, succuri & quælibet aliæ Reliquiæ.

XXXV. Respondetur ad 1. confirmationem sup. §. xviii. allatam. Negando, Moyse corpus ideo fuisse occultatum, ne illud Judæi, colerent, sed cum essent in idololatriam proni, ne id ipsum pro Deo haberent, & tanquam Deum adorarent, ut rectè Tirinus in cit. tex. ex Ambrosio Chrysof. & alijs P.P. quod periculum cum non sit apud Christianos, sit ut Reliquiæ securè coli possint; quippe inauditum est apud Christianos aliquem detulisse unquam Reliquiis cultum & honorem divinum. Ad 2. Pharisæos monumentis Justorum nomina sua inscribendo, insignia appendendo &c. vanam vulgi gloriam captasse, quasi Majoress suos arguerent, à quibus Prophetæ occisi fuerunt: interim illo facto homicidia à parentibus perpetrata abscondere voluisse, uti solent filij latronum, qui occisorum à parentibus cadavera, terræ mandant. Unde de hypocrisis reprehensi fuerunt à Christo juxta illud Luc. 11. v. 48. *Testificamini quia consentitis operibus Patrum vestrorum, quia illi Prophetas occiderunt, vos verò adificatis eorum sepulchra.* Ad 3. Negando, cultum reliquiarum esse voluntarium in sensu Sectariorum, hoc est, rectæ rationi contrarium; esto enim expressè non præcipiatur, habet tamen suum fundamentum in traditione & perpetua Ecclesiæ praxi, ut patet ex dictis.

XXXVI. Error quartus. Miracula per Reliquias patrata non probare licitum eorum cultum. Ita antiqui, novique Sectarij Hailbrunner fol. 260. Hanneken fol. 548. Molinæus fol. 166. Amelius Tom. 2. fol. 213. &c. his in ducti argumentis. 1. est. Miracula pleraque omnia vel delectandi animi vel popularis auræ aucupandæ causâ à Scriptoriis efficta esse. 2. S. Hieronymum epist. 13. ad Paulinum vocare Vigilantium Sanctum, qui ta-

men miracula, quæ per Reliquias facta circumferuntur, rejecit. 3. Deum per Apostolos & Martyres miracula fecisse, ut crederemus, Christum post Resurrectionem suam sedere ad dexteram Patris sui, gubernare omnia, ac esse Deum vivorum ac mortuorum. 4. per suscitationem mortui tactu ossium Elisæi Prophetæ Deum confirmate voluisse vaticinia Regi Israëlito Joas in ultimo morbo facta, quod aliàs per ossa Sanctorum facere non solet. 5. Emorrhoiisa Matth. 9. sanam fuisse non per merum tactum vestis Christi, sed per virtutem, quæ ab ipso, non à veste, exiit. 6. primos Christianos Petri umbram & sudaria Pauli non coluisse, sed Deum in confirmationem doctrinæ istorum Apostolorum miracula operatum fuisse. 7. denique si propter acceptam sanitatem Reliquiæ forent colendæ, pari ratione etiam medicinas & thermas venerandas, quibus non pauci sanantur.

XXXVII. Error iste inventorum suorum defectum in fide vera, & ratione recta prodit. Quis enim negare, & falsitatis incusare aulit rem toti Christiano orbi notissimam, qualia sunt miracula ad Sanctorum Martyrum Reliquias patrata, si vel fidem ut dixi Sanctam, vel rationem sanam haberet? unde meritò D. Hieronymus Vigilantium, qui miracula prædicta rejecit, & hæreticum & insanum caput appellavit. Ita contra illum scribit: *Argumentatur contra signa atque virtutes, quæ in basilicis Martyrum sunt, & dicit eas incredula prodesse, non credentibus; quasi nunc hoc queratur, quibus fiant, & non quâ virtute fiant.* Et mox: *itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt: sed responde, quomodo in vilissimo pulvere, & favilla nescio quâ, tanta sit signorum virtutumque præstantia. Sentio sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui hæc cogit te scribere, sape hoc vilissimo tortus est pulvere; imò hodieque torquetur, & qui in se plagas dissimulat, in cæteris confitetur. Nisi forte in morem Gentilium impiorumque Porphyrij, & Eronij hæc prestigia demonum esse fingas, & non verè clamare demones, sed sua simulare tormenta. Do Consilium, ingrediere basilicas Martyrum, & aliquando purgaberis, invenies ibi multos socios tuos, & nequaquam ceris Martyrum, qui tibi displicent sed flammis invisibilibus comburèris, & tunc fateberis, quod nunc negas. Hactenus D. Hieronymus. Vigilantio Succedunt hæretici nostri, quos, uti palam est çerere fide, ita nihil rationis eosdem habere, ostendunt argumenta homine sani judicij planè indigna.*

XXXVIII. Respondetur ad 1. Judicium hoc impium, injuriosum, temerarium, & longe falsissimum esse. Labet asserre verba D. Augustini L. 9. Confess. c. 7. quibus sic Deum alloquitur: *In hoc tempore Domine revelasti famulo tuo Episcopo (S. Ambrosio) quo loco laterent Corpora Gervasij & Prothasij, quæ post tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras; unde opportune promeres ad coecendam tabernam femineam, sed regiam. Cum enim propalata & effusa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus, confessi eisdem demonibus, sanabantur: verum etiam quidam plures annos cæcus civis civitatique notissimus, cum populi tumultuantis latitæ causam quesisset, atque audisset, exiit, coque, ut se duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus, impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosa in conspectu tuo mortis Sanctorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confessim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuae ferventer lucentes: inde illius*



illius inimica animus, est ad credendi sanitatem non applicatus, à persequendi tamen furore compressus. Hoc D. Augustinus. Quis autem eò dementiæ venerit, ut dicere audeat, hunc talem ac tantum Patrem miraculum hoc vel delectandi animi, vel popularis aucupandæ auræ causâ scripto vulgasse? Eant igitur hæretici, quò illos cum Vigilantio Hieronymus ablegat, scilicet ad suos socios, quorum fuligo ferri possit, nisi calor inter illos foret intolerabilis. Ad 2. Fingere istud more suo Gerhardum fol. 679; cum in epist. ad Paulinum non reperitur; & cum S. Hieronymus vocet Vigilantium insanum caput, infelicissimum mortuum, blasphemum, hæreticum hominem, socium demonum. Quomodo eundem appellare potest sanctum? ita scilicet exverunt frontem Novatores, ut etiam palpabilia mendacia non amplius erubescant. Ad 3. Deum operari miracula, ut credamus, Christum post Resurrectionem suam sedere ad dexteram Patris, & esse Deum vivorum & mortuorum, à nobis non negari, cum hac tandem omnia prodigia colliment, ut scilicet credamus; per hoc autem non tollitur, Deum operari miracula in præsentia Reliquiarum propter Amicorum suorum merita & intercessionem, ad quos illæ Reliquiæ spectant; Et de hoc unice hic agitur, ac respondere ad istud Adversarij deberent. Ad 4. per hoc iterum non everti, quod nos hic asserimus, Deum scilicet ad contactum ossium Elisæi ob hujus Amici sui merita & sanctitatem suscitasse mortuum, de quò bene S. Cyrillus: quod ergo non solum anima sanctorum sit honorata, sed etiam in defunctorum eorum corporibus credatur occulta quadam vis ac virtus residere, mortuus intra sepulchrum quiescens testatur Elisæus, quando per sui corporis contactum quidam revixit mortuus, atque sic mortuum Elisæi corpus in defunctum hunc viventis animæ exercuit operationem. Hæc Cyrill. Hieros. Cathes. 18. Frustra autem laborant hæretici, Sancti hujus Patris scripta in dubium vocare; etenim Catecheses esse Cyrilli, jam ante 900. annos agnovit Damascen. orat. 3. de Imag. Videatur Papatus Catholicus Tom. 2. à fol. 507. Ad 5. Non esse dubium, omnem virtutem & operationem miraculosam à Christo provenire; per hoc autem non fuit Hemorrhoiâ impedita, quominus in fimbria Christi morale aliquam sanctitatem agnosceret, speraretque fore, ut ad hujus vestis suæ contactum Christus eam sanaret. Ad 6. ipsum venerabilem attractum & fiduciam habuisse rationem cultus. Numquid etiam Purpura Regis colitur, dum submissâ reverentiâ tangitur? Ad 7. Denique, curationem medicinarum & thermarum esse naturalem, adeoque non mereri supernaturalem cultum Religionis, sicuti Reliquiæ Sacræ per miraculosam curationem merentur. Unde apparet, & hoc & reliqua argumenta esse prorsus vilia, & nihil evincere.

XXXIX. Instant Adversarij 1. Illud non est recentis exempli, Divos confectis miraculis imperitæ multitudinis affectibus commendare. 2. Hieronymum non tam rationibus egisse contra Vigilantium, quàm convitijs. 3. Christum non semper sic nobis adest, ut eius vestem tangamus. 4. Ex uno miraculo Elisæi, Hemorrhoiâ &c. non est argumentatio ad plura, quia una hirundo non facit ver. 5. Nec umbra Petri, nec ossa Elisæi fuerunt in Monstrantijs inclusa. 6. Sudaria Pauli, si aliquando profuerunt ægris,

non sequitur, eadem adhuc hodie eandem virtutem habere. 7. Christum curando ægros vestium suorum cultores, non approbasse illorum pietatem superstitionis, sed tantum dissimulasse, ne linum fumigans extingueret. Matth. 12. v. 20. Hæ Instantiæ nec hilo meliores sunt prioribus, objectionibus, sed ex ipsi solum pertinacia magis elucescit. Ad 1. esse calumniam Erasmi hominis vanissimi in Ecclesiaste pag. 336. quem Lutherus ipse & dicit, Epicurum &c. appellavit. Ad 2. esse criminationem ejusdem Erasmi in argum. Epist. Hieronymi contra Vigilantium, qui literatus quidem, nolens autem semper sapere ad sobrietatem meruit, ut Catholicis a verarentur eundem vel uti Semichristianum Ad 3. etiamnum hodie extrare multa, quæ Christus Sanctissimi corporis sui attractu sacra- vit; vel nominatim Crucem, in qua Sanguinem suum fudit, & mortuus est. Cur ergo ad ista haberi nequeat devotio, & pia affectio similis illi, quam habuit Hemorrhoiâ? Ad 4. quod semel factum est ad ossa Elisæi, sudaria Pauli &c. potuisse aliâ vice ad aliorum Sanctorum corpora & Reliquias fieri; imò factum esse testantur SS. Patres & Historici. Inquunt; una hirundo non facit ver. At verò ad unum miraculum, quod Deus apud Reliquias alicujus Sancti operatur, ruit tota secta Calvinistarum & Lutheranorum. Ita vos Prædicantes tractatis ss. Scripturas, si nihil omnino reperiatis, vociferamini nihil inveniri in Scriptura: si reperiatis aliquid, recoctâ crambe clamatis: una hirundo non facit ver. Ad 5. non esse necesse, ut omnes Reliquiæ, ad quas Deus miracula facit, vel plures vel uni Monstrantiæ includantur. Ad 6. recens esse dictum, Deum sæpius ad Sacras Reliquias vel easdem vel alias facere posse, quod semel fecit. Ad 7. temerarium hoc esse judicium, & Christo injuriosum; quasi verò iste tantum scelus idololatriæ fuisse dissimulaturus, qui multa leviora delicta severissime reprehendit.

XL. Error quintus. Est eorundem hæreticorum, tantam esse fallaciam Reliquiarum, ut nemo possit illis fidere. In his fraudibus & imposturis ostendendis prolixus est Ioan. Gerhardus. à fol. 666. L. 2. Par. 2. Redigi totum chaos ad triplicem probationem potest. Prima est ab Auctoritate eorum, qui fatentur has fraudes in Reliquijs inveniri, quibus annumerari potest S. August. qui L. de operat. Monachorum c. 28. cum dixisset, quosdam Monachos circumferre, & venditare membra Martyrum, addit, si tamen Martyrum. Secunda ab experientia, quæ fallaciæ fuerunt deprehensæ. Genevæ Catholici putarunt se habere cerebellum S. Petri. At Calvinistæ succedentes, nihil aliud repperunt, nisi pumicem. Tigurini adhuc Catholici jactarunt, se habere Reliquias SS. Felicitis & Regulæ, at succedentes Zwingliani nihil repperunt, nisi laterem, funem, costas felis. Cassander in Consult. art. 21. c. de venerat. Reliquias. narrat, S. Martinum deprehendisse Reliquias, quos plebs veluti Martyres colebat, fuisse scelesti latronis. 3. à Ratione Tum quia eadem Reliquiæ in diversis locis monstrantur. v. g. Corpus D. Dionysij Ariopagite Parisijs, & Ratisbonæ. Similia plura cœcervat Gerhardus loco cit. Tum quia tot particula Crucis hinc inde asservantur, ut si in unum colligerentur, multa plaustra implerent, adeoque torius



Crucis magnitudinem multum excederent. Similia plura nominatim de clavis, quibus fuit Cruci fixus, de dentibus S. Apolloniae iterum cumulat Gerhardus. Tum quia nonnullae reliquiae ridiculo modo inventae dicuntur, v. g. in monte Anthecensi indicio murischedam Altari imponentis, ut refert Heilbrunner in non cathol. Papatu fol 256. quae pluraque alia sapud Gerhardum valde suspectam reddunt veritatem Reliquiarum.

XLII. Error iste adeo absurdus est, ut non tantum ab omnibus Catholicis recte rejiciatur, sed a nonnullis etiam haereticis jure contemnatur. Dubitari non potest, apud ipsos dari aliquos filios ex adulterio natos, qui a matribus supponuntur maritis suis, & tanquam legitimi istorum filij passim honorantur. An ideo omnes filij habeantur pro spuris, nulloque digni honore censeantur? Negabunt omnes, qui sanae sunt mentis, & ipsi in primis Praedicantes, utur alias ad hujusmodi stoliditates proni. Sic ergo, etiam si aliquae Reliquiae ex malitia hominum diabolicorum supposititiae sint, (quod nunc damus, non concedimus) ad lucrum faciendum, vel quemcumque alium pravum finem, non propterea omnes aliae tanquam tales sunt putandae contemnendae, rejiciendae &c. Sufficiat nobis Inprimis, quod ex concessis Adversariorum datur verae & approbatae Sanctorum Reliquiae, quae in Romano-Catholica Ecclesia honore & reverentia singulari juxta antiquos Patres recte coluntur, licet male persuadeant sibi Novatores, inter illas esse nonnullas supposititias. Deinde si contingat subinde, Reliquias falsas exponi pro veris, id nihil officit intentioni Fidelium pie credentium, esse veras; quia intentio illorum tendit ad verum Sanctum, propter quem eandem Reliquias honorant, non honoraturi, si aliud ipsis constaret, adeoque tam parum hic committitur idololatria, quam parum committatur, si hostia tanquam consecrata adoretur, & exponatur, quae tamen ex malitia aut quocumque Sacerdotis defectu non est consecrata. Demum obesum mendacium, & haereticis familiarem in Catholicos columniam esse, exponi & coli falsas & supposititias Reliquias, si praesertim sermosit de Reliquijs publica Episcoporum auctoritate expositis juxta decretum Concilij Tridenti sess. 25. Unde argumenta etiam levia sunt & nullius roboris.

XLII. Respondetur Ad 1. ab auctoritate petitem. Nullum legitimum Concilium, nullum S. Patrem, nullum Catholicum Doctorem adduci posse, qui expositas publice Reliquias dicat esse supposititias. Auctores igitur in oppositum apud Gerhardum adducti vel in malum sensum torquentur, vel ex hac ipsa doctrina nullius esse fidei

cognoscuntur. S. Augustinus non dubitat de Reliquijs, quae publica auctoritate exponuntur: sed de ijs, quae privatim circumferuntur; si tamen S. Pater dicatur dubitare, & non solum caute prudenterque loqui. Ad 2. ab Experientia sumptum, id nullam mereri fidem, utpote absque dubio confictum ab haereticis, & horum fauore Cassandro, sicuti multae aliae calumniae contra Catholicos excogitatae fuerunt. ad 3. a ratione acceptum. Ad 1. Si in diversis locis ejusdem Sancti Reliquiae monstrantur, vel sunt tantum diversae partes ejusdem Corporis: vel plures Sancti ejusdem Nominis fuerint: vel alicubi tantum res attractu Reliquiarum sacrae habentur. Bene etiam notat Jacobus Gretferus L. 1. de Cruce c. 97. saepe sacra pignora & lypšana ex imitatione aucta & ex prototypo expressa occasionem dederunt posteris, ut sibi persuaderent, se possidere ipsum exemplar, cum non nisi imaginem ejusdem haberent. Temporis etiam diuturnitate evenire potuit, ut sacra Lypšana permittantur, alterumque in salterius locum subliteretur, & id, quod non erat, esse censeretur. Quod si duo integra corpora diversis in locis monstrantur, necesse est, alterutrum locum errare, cujus erroris facile convinci possunt. Ad 2. De particulis S. Crucis hoc singulariter dici posse, quod idem Gretferus L. 10. de Cruce c. 66. ex S. Paulino & Cyrillo Hierosol. tradit, Lignum Crucis miraculose crescere, ut mirum non sit, si primam Crucem magnitudine superet. Ad pluralitatem Clavorum Christi, & Dentium S. Apolloniae quid dici probabiliter possit, jam constat ex responsione ab priorem rationem. Ad 3. denique rationem, nihil apparere absurdum, si Sacrae Reliquiae muris indicio fuerint manifestatae, cum legamus in S. Script. asini voce praesentiam Angeli Baalamo indicatam fuisse. Num. 22. v. 28. & sequentibus. Per mures etiam causam pnae Philistaeis illatae fuisse a Deo detectam, habemus 1. Reg. c. 5. v. 6. Ait Heilbrunner. Deum non consuesse, sua mysteria per mures propalare. Sed caveat praedicans, ne diabolus faciat auctorem loquelae asini, & murium in agris Philistaeorum. Videri possunt, quae de Miraculis universim pro Fide Catholica diximus supra Controvers XXI. Finio haec tenus dicta de cultu & invocatione Sanctorum. Item de imaginibus & reliquijs eorumdem verbis Davidis Psal. 149. vers. 9. Gloria haec est omnibus Sanctis Ejus.

✠:o: IHS. :o:✠  
✠:o:✠



PRIN-